This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

KEY

TO

AIDS TO WRITING LATIN PROSE

BY

G. G. BRADLEY, D.D.

DEAN OF WESTMINSTER,

LATE MASTER OF UNIVERSITY COLLEGE, OXFORD, AND FORMERLY MASTER OF MARLBOROUGH COLLEGE

EDITED AND ARRANGED

BY

T. L. PAPILLON, M.A.

FELLOW AND TUTOR OF NEW COLLEGE, OXFORD.

N.B.—This Key is for the use of Tutors only, and is issued on the understanding that it shall not get into the hands of any Pupil.

RIVINGTONS

WATERLOO PLACE, LONDON

[Price Five Shillings.]

RIVINGTON'S MATHEMATICAL SERIES

By J. HAMBLIN SMITH, M.A.,

GONVILLE AND CAIUS COLLEGE, AND LATE LECTURER AT ST. PETER'S COLLEGE, CAMBRIDGE.

Arithmetic. 3*s.* 6*d.* A KEY, 9*s.*

Elementary Algebra. 3*s.* Without Answers, 2*s.* 6*d.* A KEY, 9*s.*

Exercises on Algebra. 2*s.* 6*d.*

[Copies may be had without the Answers.]

Elementary Trigonometry. 4*s.* 6*d.* A KEY, 7*s.* 6*d.*

Elements of Geometry.

Containing Books I to 6, and portions of Books II and 12 of EUCLID, with Exercises and Notes. 3*s.* 6*d.* A KEY, 8*s.* 6*d.* Books I and 2, 1*s.* 6*d.*, may be had separately.

Elementary Statics. 3*s.*
Elementary Hydrostatics. 3*s.* } A KEY, 6*s.*

Book of Enunciations

FOR HAMBLIN SMITH'S GEOMETRY, ALGEBRA, TRIGONOMETRY, STATICS, AND HYDROSTATICS. 1*s.*

An Introduction to the Study of Heat. 3*s.*

By E. J. GROSS, M.A.,

FELLOW OF GONVILLE AND CAIUS COLLEGE, CAMBRIDGE.

Algebra. Part II. 8*s.* 6*d.*

Kinematics and Kinetics. 5*s.* 6*d.*

By G. RICHARDSON, M.A.,

ASSISTANT MASTER AT WINCHESTER COLLEGE.

Geometrical Conic Sections. 4*s.* 6*d.*

Waterloo Place, Pall Mall, London.

ENGLISH SCHOOL CLASSICS

EDITED BY FRANCIS STORR, B.A.,

CHIEF MASTER OF MODERN SUBJECTS IN MERCHANT TAYLORS' SCHOOL.

THOMSON'S SEASONS: Winter.
With an Introduction to the Series. By the Rev. J. F. BRIGHT, M.A. *1s.*

COWPER'S TASK.
By FRANCIS STORR, B.A. *2s.*; or in Three Parts, *9d.* each.

COWPER'S SIMPLE POEMS.
By FRANCIS STORR, B.A. *1s.*

SCOTT'S LAY OF THE LAST MINSTREL.
By J. SURTEES PHILLPOTTS, M.A., Head Master of Bedford School. *2s. 6d.*; or in Four Parts, *9d.* each.

SCOTT'S LADY OF THE LAKE.
By R. W. TAYLOR, M.A., Head Master of Kelly College, Tavistock. *2s.* or in Three Parts, *9d.* each.

SCOTT'S MARMION.
By F. S. ARNOLD, M.A., Assistant Master at Bedford School.

NOTES TO SCOTT'S WAVERLEY.
By H. W. EVE, M.A., Head Master of University College School, London. *1s.*; WAVERLEY AND NOTES, *2s. 6d.*

BACON'S ESSAYS. Complete Edition.
By FRANCIS STORR, B.A.

TWENTY OF BACON'S ESSAYS.
By FRANCIS STORR, B.A. *1s.*

SIMPLE POEMS.
By W. E. MULLINS, M.A., Assistant Master at Marlborough College. *8d.*

SELECTIONS FROM WORDSWORTH'S POEMS.
By H. H. TURNER, B.A., late Scholar of Trinity College, Cambridge. *1s.*

WORDSWORTH'S EXCURSION: The Wanderer.
By H. H. TURNER, B.A. *1s.*

MILTON'S PARADISE LOST.
By FRANCIS STORR, B.A. Book I., *9d.* Book II., *9d.*

MILTON'S L'ALLEGRO, IL PENSEROSO, AND LYCIDAS.
By EDWARD STORR, M.A., late Scholar of New College, Oxford. *1s.*

SELECTIONS FROM THE SPECTATOR.
By OSMUND AIRY, M.A., late Assistant Master at Wellington College. *1s.*

BROWNE'S RELIGIO MEDICI.
By W. P. SMITH, M.A., Assistant Master at Winchester College. *1s.*

GOLDSMITH'S TRAVELLER AND DESERTED VILLAGE.
By C. SANKEY, M.A., Head Master of Bury St. Edmund's Grammar School. *1s.*

EXTRACTS from GOLDSMITH'S VICAR OF WAKEFIELD.
By C. SANKEY, M.A. *1s.*

POEMS SELECTED from the WORKS OF ROBERT BURNS.
By A. M. BELL, M.A., Balliol College, Oxford. *2s.*

MACAULAY'S ESSAYS:
MOORE'S LIFE OF BYRON. By FRANCIS STORR, B.A. *9d.*
BOSWELL'S LIFE OF JOHNSON. By FRANCIS STORR, B.A. *9d.*
HALLAM'S CONSTITUTIONAL HISTORY. By H. F. BOYD, late Scholar of Brasenose College, Oxford. *1s.*

SOUTHEY'S LIFE OF NELSON.
By W. E. MULLINS, M.A. *2s. 6d.*

GRAY'S POEMS. SELECTION FROM LETTERS, with LIFE by JOHNSON. By FRANCIS STORR, B.A. *1s.*

KEY

TO

AIDS TO WRITING LATIN PROSE

A New and Revised Edition. Crown 8vo. 5s.

Arnold's Practical Introduction to Latin Prose Composition.

BY GEORGE GRANVILLE BRADLEY, D.D.,
Dean of Westminster,

Late Master of University College, Oxford, and formerly Master of Marlborough College.

A KEY for the use of Tutors only. 5s.

RIVINGTONS
WATERLOO PLACE, LONDON

KEY

TO

AIDS TO WRITING LATIN PROSE

BY

G. G. BRADLEY, D.D.

DEAN OF WESTMINSTER,

LATE MASTER OF UNIVERSITY COLLEGE, OXFORD, AND FORMERLY MASTER OF MARLBOROUGH COLLEGE

EDITED AND ARRANGED

BY

T. L. PAPILLON, M.A.

FELLOW AND TUTOR OF NEW COLLEGE, OXFORD

RIVINGTONS

WATERLOO PLACE, LONDON

MDCCCLXXXIV

29691. f. 2.

BODLEIAN LIBRARY
7 JUL 84
OXFORD.

PART I.

Short Sentences.

EXERCISE I.

1. Napoleo quum hostibus et augeri copias et crescere animos videret, suos aestu et lassitudine confectos a recentibus et integris premi, progressus aliquantum a tumulo unde jam diu eventum pugnae expectabat vocatam ad se veteranorum militum legionem, quam ad extremum pugnarum discrimen reservare solitus erat, in hunc modum alloquitur.

2. Quum consumptis utrinque jaculis tres horas atrocissima cum caede comminus dimicatum esset, et miles vix prae aestu ac pulvere respirare posset, neque effuso sanguine lubrico solo insistere, nemo tamen potuit vel aversum hostem se vidisse gloriari vel mortem deprecantis audivisse vocem; adeo ut viderentur Dii Mexicani ultra quam humanas vires robur et virtutem, quae neque vulneribus nec morte ipsa deterreri posset, nationi [1] suae adjecisse.

3. Hac ad Venetos nuntiata clade quum per dies aliquot in tanto pavore ac maestitia fuisset civitas, ut tabernis clausis velut nocturna solitudine per urbem acta senatus magistratibus negotium daret singulas ut domos circumirent aperirique tabernas et omnem maestitiae pudicae speciem demi juberent, tum princeps ipse cives in forum vocatos allocutus est adhorta-

[1] *Natio* (see Introd. 182) may be used of an *un*civilised people, *e.g.* of Gauls or Britons, by a Roman writer.

tusque ne, quorum patres pejora pertulissent, una calamitate quae sanari posset animos summitterent.

[*Adapted from* Liv. xxiii. 25.]

Exercise II.

1. Magno mihi est solatio quod eo usque vitam produxi ut patriam ab ejusmodi hominum turpissimis artibus tutam videre possim. 2. Nihil magis nocet civitati quam omnes magistratus penes divites esse. 3. Insipientis est vel factorum vel dictorum inutili jactatione (*or* ostentatione) animos hominum irritare. 4. Tum quum mortifero vulnere victor moriebatur, reipublicae casum et interitum praedixit. 5. Abhinc duo saecula hanc gentem (*or* civitatem, *or* hunc populum) externae ac barbarae nationis dominatione vexatam liberavere patres nostri. 6. Deos omnes testor damnum mihi maximum intulisse istum; sed ignoscere ei debeo, quod casu eum ac fortuito potius quam consulto fecisse credo. 7. Persaepe in hoc campo et atrocissime pugnatum est. 8. Persaepe fit ut turpissimis artibus vel divitias vel honores consequantur homines. 9. Cum lacrimis mecum egit ne in adversissimis eum rebus desererem, neve fratris sui irae et indignationi objicerem. 10. Liberis se meis semper consulturum esse pollicitus est; quae pollicendo ea quae cupiebat impetravit. 11. Vir erat ingenio humanissimo (*or* benignissimo), et ab hujusmodi scelere alienissimus. 12. Conticuit aliquando; id quod fecisse eum equidem admiratus sum, qui scirem eum oratorem esse praeclarissimum (*or* dicendi laude florere). 13. Nec cujusvis est, qua ratione (*or* quibus artibus) Romani ceteris gentibus dominari potuerint, brevi perscribere. 14. Dicunt a Deo rus, urbes ab hominibus factas esse. 15. Nemo est quin sciat maximam tibi rempublicam debere gratiam. 16. Puero ei praedictum est esse in fatis ut ad summos in civitate honores perveniret. 17. Difficile dictu est cui civium generi maximo fuerit odio.

Exercise III.

1. Ac tum temporis quum ego primum ad rempublicam accessi penes paucos ac praepotentes homines summa erat rerum. 2. Utrum horum sit pejus vix equidem dixerim, unius domini an multitudinis imperitae dominatus. 3. Quum annos amplius triginta regnum obtineret, numquam commisit ut quidquam contra rem publicam aut diceret aut faceret. 4. Ineunte aetate ad optimatium se partes adjunxit, quorum fretus opera rei publicae gubernandae spem concepit. 5. In iis civitatibus quae potestate regia continentur (*or* ubi penes regem est summa rerum) major interdum plerumque patet singulorum hominum industriae et ingeniis campus quam in iis quae paucorum nutu et dominatu reguntur. 6. Equidem moderatum ac permixtum rei publicae genus ceteris omnibus anteponendum censeo, in quo et ferunt suffragia cives et magistratus mandant, et per delectos viros legum et consilii publici participes fiunt; rex vero ita ad gubernacula sedet ut neque abrogare leges possit neque sine populi jussu perferre, nec quidquam denique quod contra rem publicam sit facere. 7. Equidem quum primum rei publicae procurationem suscepi nihil antiquius habui quam ut et turbulentorum civium licentiam comprimerem et principes hominum popularium cum nobilitate, quae tum temporis summa apud vulgus invidia flagrabat, reconciliarem. 8. Regale civitatis genus non tam regni odio quam regis vitiis repudiatum est. 9. Ejus enim est qui multos jam annos rei publicae praefuerit paullo longius prospicere; novit enim quum semel labefactari coeperit rei publicae libertas proclivem ac praecipitem ad perniciem ferri; nec minori ei erit curae qualis res publica post suam mortem futura, quam qualis hodie sit; illud tamen perspectum (*or* compertum) habet, facilius esse respublica quemadmodum intereat ac dissolvatur divinare, quam quemadmodum resistatur praecipere.

Exercise IV.

1. Tanta fuit in eo viro vis ingenii ac virtutis, ut non jam infans et tamquam in cunabulis sed paene jam adultus populus unius viri consilio et imperio (arbitrio) summam rerum permittere voluerit.

2. Et videtur quidem hoc tempore insitiva quadam disciplina doctior subito et cultior facta esse civitas. Nam renata et redintegrata alibi litterarum cognitione influxit in hunc populum non tenuis quidam rivulus, sed abundantissimus amnis externarum artium atque disciplinarum.

3. Haec si adfuerint, beata erit vita; sine his (*or* his absentibus) beata esse non potest.

4. Jam vero in hac hominum frequentia atque strepitu, in tanta omnium rerum venditatione ac jactatione, in tanta omnium hominum ostentatione et contentione, in hac denique trepidatione et concursu, tranquillitas animi et securitas nusquam reperiri potest, nec quisquam superest, qui parce vivere magna cogitare studeat (*or* qui in tenui victu magna cogitet).

5. Cum vero tot tamque manifestis signis Natura declaret quid velit et quo tendat, quid desideret imperetque, tamen absurdescimus nescio quo modo nec eorum quae ab ea monentur audimus quidquam.

6. Ut quisque maxime opibus et copiis abundat, ut maxime dignitate floret et auctoritate atque gratia, ita maxime fortunae suae rationem esse reddendam existimare debet.

7. Ut quisque fit vir optimus, ita difficillime ceteros esse improbos suspicari solet.

8. Eum igitur teneamus cursum qui semper fuit optimi cujusque et fortissimi, nec ea audiamus signa quae receptui canunt.

Exercise V.

1. Ut enim quisque sordidissimus videbitur, ita libentissime severitate judicandi de ceteris sordes suas eluet.

2. Et nescio an iis, qui revera aliquod addiscere volunt, obsit eorum auctoritas qui se docere (*or* docendi artem) profitentur: desinunt enim suum judicium adhibere, necnon id habent ratum, quod ab eo quem probant judicatum vident.

3. Minimis momentis maximae inclinationes rei publicae (*or* temporum) fiunt.—[Cic. *Phil.* v. 10, 26.]

4. Omne malum nascens facile opprimitur; inveteratum fit plerumque robustius.

5. Equidem in perobscura quaestione quid in quaque re verissimum sit consecutum me non profiteor: secutum esse prae me fero.

6. Miror equidem hominem in primis acutum non vidisse plurimum interesse inter eos qui honesta a commodis non nomine sed genere tota disjungant, et eos qui honesta cum commodis ita commisceant ut inter se magnitudine et quasi gradibus, non genere differant.

7. Qui vero amicitia per se et propter se expetita quam sit jucunda exploratam habet, id maxime optandum habebit ut cum aequalibus possit, quibuscum tamquam e carceribus emissus sit, ad calcem, ut aiunt, pervenire: quid enim hoc melius, ut caritas illa, quae tamquam sol alter adolescenti illuxerit, seni et imbecillo lumen suum ostendat? Sed quum res humanae fragiles et caducae sint, eos semper anquirendos habebit, quos diligat et a quibus diligatur: illud enim memoria tenebit, caritate scilicet et benevolentia sublata omnem esse e vita sublatam jucunditatem.—[*Cp.* Cic. *Amic.* 27. 101.]

Exercise VI.

1. Solent interdum honestum et utilitas aut pugnare inter se aut pugnare videri. 2. Monentem me audire noluit; timentis tamen potius quam fidentis speciem praebuit. 3. Jam

prae clamoribus plaudentium et admirantium vix audiri poterat monentium vox. 4. Inter eos qui Graecas literas contemnebant et eos qui admirabantur maxima est orta dissensio. 5. Merita ejus in republica quot qualia et quanta fuerint haud facile est enarrare. 6. Eorum qui ante illum regnaverant nemo civibus carior fuit, nec quisquam ex iis qui secuti sunt virtutum ejus memoriam obscuravit. 7. Nec quem defendam nec quis eum accuset oblitus sum, nec quum pro eo dicam officio meo sum defuturus. 8. Permulta attulisti argumenta cur Deus sit, nullam attulisti rationem cur esse neges. 9. Hoc bellum quod tam imprudenter conflatis quale sit et quantum et quam diuturnum futurum oblivisci videmini. 10. Ubi occisus sit et quemadmodum incertum est: alii veneno interceptum esse auctores sunt, vi alii; eos qui occiderunt impune fuisse, fere inter se consentiunt. 11. Puer multorum et illustrium hominum ad amicitias me contuli quorum vel ingenia vel virtutes pariter admirabar. 12. Perturbavit militum animos absens dux, et nunfiatus ejus interitus, et consumpta tela paene omnia. 13. Cur hoc facere nolint, quamquam tacent, ipso silentio satis declarant. 14. Tibi uni quae sperabas quae optabas quae tibi proponebas Deorum beneficio videntur omnia contigisse. 15. Civium quam plurimis prodesse et utile per se est et pulchrum; etenim non modo ad amicos conciliandos pertinet et ad augendas opes, sed ad favorem, ad gratiam, ad dignitatem, ad auctoritatem consequendam et confirmandam.

Exercise VII.

1. Et videbatur ille quidem perfectae cujusdam et absolutae virtutis esse, et constantiae prope divinae; illo tamen tempore dubitari non potest quin nescio quomodo commiserit ut ab honestate (*or* honestatis norma) declinaret et suae privatim saluti summam rempublicam posthaberet. 2. Oro igitur te atque obsecro ne quid unquam facias quod pie et honeste facere nequeas et ut enixe operam des ne quid ambitione ne quid cupide

agere videaris. 3. Invitus ea dico quae nisi inimicis meis nil prodesse posse videantur sed in id discrimen adducta est respublica ut communis modo salutis ratio sit habenda. 4. Admodum adolescens illud animadverti non fere apud senatores gratiosos fieri novos homines; hodie vero non solum populi favore florent sed vulgo in hunc ordinem deliguntur et ad summam hic existimationem (dignitatem) nonnumquam perveniunt. Hoc demum anno ex eo numero quidam ipsi reipublicae procurationi interfuit. 5. Subito tandem sive sua sponte (voluntate), sive spe sibi imperii obtinendi (*or* servandi), seu auctoribus qui circum eum erant, decrevit bellum ultro inferre; brevi expertus est non de finibus tantum vel flumine sed de regno suo et reipublicae salute certari. 6. Multos ille annos ad eam Continentis Asiae partem quae ad occidentem spectat navigare frustra conatus erat; nec umquam id quod tam vehementer optabat consecutus est quamquam id tandem aliquando perfectum iri desperare noluit. Sed nulli non perspicuum est tantum eum laboris industriae ac constantiae nullo modo nequiquam impendisse; immo vix quemquam melius de humano genere meruisse quam eum cui dum in vivis erat nec gratiae satis nec honoris habebant homines, mortuum ut deum colebant venerabanturque.

Exercise VIII.

1. Dixi, judices, et consedi; vos de hac re judicate; spero equidem et jamdudum spero, consensu me vestro (*or* vestris omnium sententiis) absolutum iri. 2. Iste vero, dum me accusat, illud oblitus erat de se quaestionem hanc haberi, me hujus maleficii se ab inimicissimis quidem meis aut insimulare aut insimulatum esse. Aequo igitur animo contumelias ejus et exprobrationes feram; nam mihi quidem manifestum est, et videmini vos etiam mecum consentire, aut animo eum moderari non posse, aut plane insanire. 3. Sed extemplo mutata sunt omnia. Videbatur bellum,

quod tam diu cum finitimo populo potentissimo et fortissimo gerebamus, finem esse habiturum; sed, dum omnes pacem desideramus, omnes luctuosissimo bello impositum iri finem speramus, subito et ex inopinato unde minime exspectabamus coorta est tempestas. 4. Vir mirabilis (*or* summi, *or* divini) ingenii Graece loqui, rem difficillimam, senex didicit; antiquitatis memoriam fere omnem cognitam perspectamque jampridem habebat et ad extremum vitae tempus quotidie aliquid addiscebat. 5. Apud Caesarem legimus neque fagum neque abietem suis temporibus in Britannia nasci. Narrat etiam nummo aereo Britannos uti, et longe omnium humanissimos esse qui Cantium incolerent. 6. Romam quum perveneris, eundem offendes rerum statum quem ineunte vere offendisti; si vero promissis stabis, pater meus tibi praesidio erit.

Exercise IX.

1. Aliud est gratias agere; habere gratiam aliud; aliud denique referre gratiam. 2. Ipsum sibi placere facile est (*or* cujusvis est), ceteris placere aliquanto difficilius. 3. Haec (*or* hoc) dicere prudentiae est, haec facere fortitudinis, et dicere vero et facere perfectae absolutaeque virtutis. 4. Ejusmodi hominem vel religionis, vel pietatis, vel patriae caritatis, vel honestatis mentionem facere, idem est quod latronem de probitate disserere vel hominem barbarum de philosophia disputare. 5. Negavit idem esse mendacibus hominibus fidem habere quod veracibus fidem facere; illud sibi non operae esse, hoc assequi sibi cujusvis operae pretium esse videri. 6. Aliud est multa loqui, aliud, id quod bene omnes scitis, multa scire. 7. Pauperem hominem in summa egestate fidem praestitisse honestum est et jure laudatur; divitem in omnium rerum abundantia fidem fallere mihi nec honestum nec laudabile videtur. 8. Cunctari, res differre (*or* procrastinari) haesitare animo, cessare numquam illi placebant; recta via

omnia quae petebat sequebatur, summo usus studio et industria. 9. Beatum esse (*or* beate vivere) nihil aliud est quam virtutis legibus parere. 10. Beate vivendi vim tu omnem modo in voluptate ponis, modo in divitiis; nec tamen mihi operae est ista coarguere, nec consuetudinis meae est de his et hujusmodi rebus apud homines tam rerum imperitos multa disserere. 11. Jam vero tempus est optimum quemque ad rempublicam se conferre, nec quidquam erit negotii in tali tempore a rebus domesticis animos revocare. 12. Nec quidquam erit negotii hostem maximis itineribus defessum, et locis silvestribus impeditum subito impetu opprimere.

Exercise X.

1. Licebit mihi bono esse viro videri, malam bonus esse. 2. Philosophos istos et misereri pudet et invidere; neque diligere eos delectat neque odisse: generi humano vel vivere per eos toti licet vel perire; utrumcumque acciderit securi ipsi erunt. 3. Patriae legibus parere debuit, sed maluit rex esse quam liberae reipublicae civis. 4. Tuis te rebus contentum esse oportebat, sed dives fieri constitueras, et hac spe inductus ea ausus es quae ne cogitare quidem debuisti. 5. Tantum tibi per me licuit in senatu posse quantum posse volebas, et potuisti nulla mea opera ad summos honores pervenire; sed haec omnia abjecisti et hodie abjecisse piget paenitetque. 6. Hoc tum factum oportuit, sed iste homo perditissimus sibi consultum voluit; potuit probus esse, dives fieri maluit. 7. Singula quae passus sum neque tibi operae est audire, et ego longus esse nolo, sed summam rem tibi deferre debeo, et necesse mihi est quae a patre tuo mihi mandata habeo ea perficere. 8. Consuluit extemplo ad urbem redire et rursus privatus fieri, sed tumultuari in castris et ad arma concurri coeptum est, quocirca imperium quod omittere voluerat invitus recepit. 9. Circa meridiem pugnari

desitum est, tantus erat jamdudum aestus quantum hoc anno numquam antea experti sumus, et milites vix in acie (*or* in ordinibus) armati constare prae lassitudine poterant. 10. Nolo tibi molestus esse, ei enim molestum esse cui tantum quantum tibi debere me fateor summae sit impudentiae.

Exercise XI.

1. Fraude ac perfidia regnum eum adeptum esse dicunt; credunt plerique tot tantorumque scelerum poenas aliquando daturum esse. 2. Tradunt regem ipsum in hoc praelio cecidisse; sed satis constat suorum eum cladi et patriae exitio superfuisse, et ad montes, valles, ac solitudines ubi natus educatusque est incolumem pervenisse (*or* exitio superstitem ad montes . . . pervenisse). 3. Certamen illud et primum te iniisse accepimus et unum hodie superesse; et credimus omnes optimum te esse civem et communi (*or* reipublicae) saluti et multa posthabuisse et omnia posthabiturum fuisse. 4. Negabant milites se contra cives suos ac rempublicam vel sumpsisse arma vel sumpturos esse; sed optimi cujusque civis causa congregari armarique. 5. Jam hostes diversi fugere nuntiantur nec usquam nostrum ne primum quidem impetum sustinere. 6. Jam Napoleoni nuntiatum est, rem iterum in dubium adduci, neutro inclinari rem, et fortissimum quemque pugnando et vulneribus confectum esse. 7. Memoriae traditum est primum eum ex Hispanorum regibus foedus nobiscum fecisse. 8. Falso illud dicitur nostrae tantum utilitatis causa appetendas esse amicitias, nec sapientis esse caritatem et amorem magni facere. 9. Falso credimus ego et tu cum mutante se fortuna mutari. 10. Equidem recte me fecisse spero, et gaudeo tibi tot tantorumque beneficiorum gratiam retulisse. 11. Videor mihi populum a senatu disjunctum videre, et imperitae multitudinis arbitrio res maximas agi. 12. Luce prima Columbus terram videre et hominum voces aviumque concentum audire visus est.

Exercise XII.

1. Compertum (*or* certum) habeo dissentienti mihi ab isto consilio pigritiam ignaviamque objectum iri. 2. Quum ab Italia rediisset domi suae vita excessit: morientis lectum circumstabant propinqui et amici; flentium vocibus personabat tota domus. 3. Tum edictum est ut arma ponentibus parceretur, in repugnantes jure belli saeviretur. 4. Ad pedes ejus (*or* ei) projecti, fidem ejus implorabant ne neque adhuc reipublicae nocentes et multum olim profuturos certissimo exitio traderet. 5. Ab Africa navigans gravi implicitus morbo quum Londinum pervenisset excessit vita. 6. Tum ad legatum prope adstantem conversus, et adhibita indignantis specie, pacemne petere an bellum denuntiare vellet quaesivit: respondentem eo se consilio ea spe venisse, ut omnibus dissensionum causis quae inter illum et ipsius regem exstarent finem faceret, omnibus maledictis oneravit; plura locuturum tacere jussit, et cum summa adstantium consternatione insalutatum et admiratione potius quam metu defixum reliquit. 7. Oratio ejus prae improbantium clamore et querentium indignantiumque vocibus vix audiri poterat. 8. In Curia sedentes centurionem dicentem audivimus illum locum ubi staret esse optimum. 9. Ipse quaerentem audivi nonne tuum consilium primo aspectu speciosius fuisset suum usu utilius. Auribus meis diffisus quum propius adstantem fratrem meum viderem rogavi num recte audivissem, interroganti respondit me recte audivisse. 10. Expositus in Normannia exercitus et promota ad urbem castra summum Gallis fecerunt pavorem; sed ne haec quidem saluti communi tanto damno fuere quam principum dissensionibus sublata disciplina militaris, dissipatae per diversa praesidia copiae ut alii aliis subvenire nequirent, nec uni duci audientes esse discerent.

Exercise XIII.

1. Caesarem monuit ne cuiquam Gallorum fidem haberet sed in provinciam quanta maxima posset celeritate reverteretur. 2. Pompeium prius decrevit primo quoque tempore convenire et dare operam ne quam pacis occasionem quae se obtulisset omitteret. 3. Tandem orando et instando effecit ut barbaris persuaderet ne fidem fallerent neve eo adducerentur ut hostibus rem frumentariam suppeditarent. 4. Id egit ut duplicato cursu exanimarentur hostes et lassitudine conficerentur; quod ut fieret suis praedixit ut eorum impetum exciperent neve se loco moverent, ita fore ut et incurrentium acies distraheretur et militum vires infringerentur. 5. Concedo optime te de republica meruisse; ut reipublicae salus (*or* communis salus) existimationi tuae aut spei tuae posthabeatur non concedam (*or* concedere nolo). 6. Invitus feci, id quod interdum feci, qui judicibus persuaderem ut sontes absolverent; mihi numquam persuadere potui recte me facere. 7. Tandem orando et obsecrando a victore impetravit ut ediceret ut omnibus qui arma posuissent parceretur, neu quid amplius in oppidanos saeviretur. 8. Ut diutius manerent neque maturius discedendo omnem tam bene gestae rei fructum perderent persuaderi non potuit. 9. Ne haec de me diceres nullo modo vitare potui, sed meruisse mihi videor ut aliter de ingenio meo existimares; vide ne me iniquissime usus sis. 10. Nonne concedis satis tibi jam responsum esse? 11. Nonne nobis concedes ut trajecto oceano domum redeamus? 12. Semper id egit ut civium mores corrigeret et emendaret.

Exercise XIV.

1. Perincommode accidit quod urbs me absente prodita (*or* per proditionem capta) est; reliquum est ut iisdem artibus quibus eam amisi recipiam. 2. Illud numquam mihi, ne in summa qui-

dem reipublicae dissensione, usu venit ut amicum a me alienarem; spero numquam fore ut id mihi contingat; sin nulla mea culpa acciderit, dabo operam ut aequo animo feram. 3. Accidit tum temporis ut rei familiari tantum temporis tribuerem quantum necesse erat, totus essem in reipublicae procuratione. 4. Accessit quod in republica numquam versatus erat, sed nihil antiquius habuerat quam ut ruri assiduus viveret et totum se agro colendo et vitae rusticae daret. 5. Tantum abfuit ut quid dicerem nescirem, ut potuerim singulos dies in singulis rebus consumere; sed longus esse nolui; accessit etiam quod id egi ut cum verecundia et gravitate dicerem. 6. Sequitur ut quaeram quomodo potuerit fieri ut hic tum adesset quum caedes facta est, neque enim integrum tibi est ut id agas ut evincas eodem tempore potuisse eum in diversissimis locis Romae et Neapoli esse. 7. Accedit quod ita de mea reipublicae procuratione sententiam dixit, tamquam integra res fuerit capesseremne rempublicam an non. 8. Petitioni tuae tantum abest ut invideatur, ut ab omnibus faveatur. 9. Post noctem mediam resisti desitum est: tamen aliquot horas caedes tota urbe passim factae sunt: prima luce paulo serius edictum est ut mulieribus, pueris, et imbelli multitudini parceretur. 10. Neque rectum est neque honestum neque fieri potest ut tantas injurias tantam ignominiam aequo animo patiamur.

Exercise XV.

1. Qua spe dejecti Mauri, qui viderent quem nuper contempsissent hostem non eum esse qui primo impetu vel aequo Marte vinci posset, re subito desperata, ad castella unde egressi erant trepidi, ut victos crederes, se recipiunt. 2. Tum Indorum principes ad se adduci jubet. Miseri qui eorum quae facturus erat nihil suspicarentur, nihil metuerent, laeti accurrunt. 3. Indi, qui neque se nec sua a damno injuria ac vi jam possent defendere, agri quod reliquum est victoribus dedunt et

in fidem Regis Hispanorum recipiuntur. 4. Tum hic, qui tam foedam suspicionem a se removeri cuperet, tamen quum suam ipse causam dicere nollet, dum ego qui patrocinium ejus suscepi (*or* -erim) redirem exspectare statuit. 5. Quicumque quantum inter libertatem ac servitutem interesset experti erant singulas urbes intranti obviam effusi ibant; eam denique gloriam consecutus esse videbatur quae major esset quam quae a mortali quoquam retineri et conservari integra posset. 6. Sunt (alia) quae magis timeam; hoc enim absente frater ejus, quippe qui apud eam factionem plusquam alius quisquam valeat, magis formidandus erit; is dum vivet num perditis civibus vexillum quo concurrant umquam defuturum putatis? 7. Ejusmodi hominem nemo est qui vel nocte vel interdiu mente posse consistere credat; quippe qui non possit quin furiis et scelerum conscientia de somno saepissime excitetur, et vigilanti tantae crudelitatis tantae immanitatis species ac memoria numquam non objiciatur. 8. Quis est qui virorum veterum eorumque illustrium memoriam non tueatur magnique faciat, quos ipse non viderit? 9. Sententia ista quam prae te fers non ea est quae aut amicos paret (conciliet), aut inimicos tollat. 10. Religio una est, quae hanc tantam maestitiam tamque inveteratam (*or* radicitus) defixam ex animis nostris possit evellere. 11. Sunt qui tantum apud cives suos vel ingenio vel virtute valeant ut privati plus possint quam ulli magistratus. 12. Caesar quum inclinari jam rem et tempore utendum esse sentiret (*or* postquam . . . sensit) omnem statim equitem et quos ad id retentos de consulto reservârat praemisit, qui partim pedem referentis hostis novissimum agmen morarentur, partim in eos qui se recipientibus subsidio futuri essent impetum facerent. 13. Quae quum omnia cum fletu orasset, nulla tamen in tota provincia erat civitas quae legatos qui istum accusarent mittere nollet.

Exercise XVI.

1. Ubi primum edito e summa arce signo primum hostium agmen adventare sensit, patefacta repente porta ipse ferox in medios erumpit. 2. Quem rumorem simul atque accepi, quantum interesset ad exercitus salutem eum ad castra nostra deferri sensi, et quum prae vulnerum gravitate vix equi agitationem [1] (*or* motum) pati possem; nusquam nec die nec nocte insequente intermisso itinere per omnia hostibus infesta ad proximam nostrorum stationem ire perrexi. 3. Postquam inveni omnes qui servos domi haberent ideo aditum meum sermonemque defugere quod homines homo e servitio exemissem, nihil ibi diutius mihi habitandum esse decrevi, quum pro certo haberem me simul atque in Angliam pervenissem meliore conditione usurum esse. 4. Qui ubi primum expositas hostium copias accepit, quum in extrema senectute (*or* vir provectae aetatis) nulla posset accepta ignominia securus domi remanere, sumptis armis decrevit, quantum in se sene esset, illatum bellum propulsare (*or* defendere). 5. Iste vero simul atque transmitti fretum classem audiit (cognovit), adeo defecit subito animus ut, quum deberet id aetatis juvenis nomen dare voluntarius, non haberet quod faceret, modo vacationem militiae modo valetudinem excusaret; ut per eum licuerit hosti in ipso Capitolio vexillum suum ostentare. 6. Hoc tanto accepto incommodo adeo non defecit animo ut ita se gesserit ut etiam invidis malevolisque admirationem sui faceret. 7. Quum posset sua in civitate magno in honore apud regem esse, summa apud potentes gratia florere, hic exsul vivere maluit quam unius arbitrio ac dominationi subjectos cives videre. 8. Itaque quum prae indignatione lacrimas tenere vix posset, composito in hilaritatem vultu, dolorem dissimulavit. 9. Quum belli spolia urbi vestrae detrahebantur, quum adempta

[1] Cp. Liv. xxvii. 29 : *vix lecticae agitationem prae vulnere patiens.*

sunt civibus arma, ignominia affecta civitas, nemo vestrum ne ingemuit quidem; victori plausus ac gratulationem tribuistis; vereor ne quum pejora acciderint frustra sitis comploraturi. 10. Quum ejusmodi aliquid audiverat continuo dicebat necesse esse aliquem vel vicinum vel municipem rem finxisse. 11. Ut quemque fervido et praepropero ingenio adolescentem viderat, adeo non vituperabat ut omni qua poterat ratione coleret et observaret. 12. Ejusmodi homines quum adolescenti alicui rerum (*or* morum) imperito agricolae et rustico[1] pro mediocri officio gratias agere, honorem habere vidi, pro certo habeo sui eos quaestus commodique causa id facere, eique, quem deceptum volunt, falsam spem vel gloriae vel emolumenti ostendere.

Exercise XVII.

1. Hoc igitur mandatum recipias velim, dum ne aut neglecturus sis aut ad commodum tuum (*or* rem tuam) conversurus. 2. Tibi honorem habere vel maximum volo dum fidem interponere velis te omnem invidorum meorum obtrectationem tantidem quanti debeas facturum esse. 3. Dum (*or* quamdiu) tantum (caelati) argenti, tantum pictarum tabularum, tantum signorum (aeris, marmoris), tantum omnium artium, animi te causa colligere credidi, (tamdiu) summo te in honore habui; posteaquam intellexi haec omnia idcirco te conquirere ut impensiore pretio venderes, fateor me minus aliquanto te coluisse et observasse, et ita non contempsisse ut te tantidem quanti deberem facerem. 4. Quae tantula equitum manus in sinistrum hostium latus (cornu) emissa tantum toti exercitui injecit trepidationis, ut dum consul legatos quid fieret percontatur una aut altera legio in fugam se conjecerit. 5. Dum qui exercitibus nostris praefuturi sunt vel casu vel propter gratiam eligentur, res (publica) nullo modo prospere geri poterit.

[1] *Agricola* of the actual life; *rusticus* of the character formed by it.

6. Nolam ad collegam mittit altero exercitu dum Casilinum oppugnatur opus esse qui Campanis opponatur. 7. Haec faciebam dum (*or* quamdiu, *or* quod) suppetebant vires; et faciam quoad potero. 8. An taciti dum hostis infestum exercitum in mediam urbem ducat (infesta arma . . . ferat) exspectatis, ea spe ut tum positis simultatibus seri communi animo consilioque administretis? 9. Quoad vixit ita rempublicam administravit ut nunc primum cognoscamus quantum possit in unius hominis ingenio ac virtute momenti esse. 10. Priusquam laborum ac victoriae fructum perciperent alter exercitus in conspectum venit ut proelium redintegrandum fuerit. 11. Nolo prius abire quam consulem convenero et quantum apud eum in salute non mea sed alterius possim expertus ero. (Noluit . . . convenisset . . . non sua . . . posset . . . esset). 12. Qui his neglectis beatam se vitam consecutos esse putant, tum demum (*or* denique) se errasse sentiunt quum eos gravis aliquis casus experiri cogit.

Exercise XVIII.

1. Dicunt (dixere) eum qui agrum suum non colat (coleret) frustra messem exspectaturum esse. 2. Nos omnes dixisti scire quam exspectaret messem nunquam eum percepturum esse. 3. Memoriae proditum est vel inimicissimis eum suis, qua esset lenitate animi, libenter ignovisse. 4. Dicunt apud eos qui in republica versentur parvi fieri eos qui literis dent operam; noster vero ille saepius dicebat qui in republica versarentur ab iis qui totos se literis abdidissent plus quam aequum esset interdum despici. 5. Saepe illud dicebat rempublicam, id quod omnes qui se audirent bene scirent, turpissimo cuique civium jampridem servire, et orbis terrarum principes uni domino perditissimo homini parere. 6. Eam quam peteres adesse nuntiavit. 7. Monuit ea se senem videre loca unde tam invitus puer excessisset, quae adulta aetate toties desiderasset. 8. Omnes mihi libros quos frater ejus reliquisset se mihi daturum

pollicitus est. 9. Narrant (*or* demonstrant) collem quem a suis occupari jussisset ab hostibus teneri. 10. Nuntiant eum qui illi successurus esset brevi adfuturum esse et omnia quae Romae facta fuissent narraturum. 11. Multa se cum dea quadam colloquia habere simulabat, quae sibi leges, instituta, mores quibus populus deberet uti praeciperet. 12. Spèrare se dixit brevi fore ut qui populus (*or* quae natio) et populo Romano et Romano nomini tam infensa semper fuisset is tanti tamque diuturni odii poenas solveret.

Exercise XIX.

1. Negavit posse fieri ut cum natura consuetudo ac disciplina diu certarent. 2. Nihil sua interesse, ut videtur, putabat utrum sibi re indicta ignosceretur, an cognita causa, jure omnibus peractis, absolveretur. 3. Deplorabat eo rem pervenisse (omnia recidisse) ut nemini jam quisquam fidem habere posset: sublatam e vita hominum videri fidem, pudorem, innocentiam, et virtutem priscam, necnon una extinctum esse jus illud quae quisque vellet et sentiendi et profitendi. 4. Iis maxime opitulandum esse aiebat, qui prae inopia gratiam habere et agere possint, referre omnino non possint. 5. Pejus alii et inhumanius: praesidii scilicet adjumentique causa, non benevolentiae ac caritatis, expetendas esse amicitias; itaque, ut quisque minimum in se firmitatis esse ac virium sentiret, ita maxime amicitias appetere debere (*or* quo minus . . . eo magis). 6. Ecquem vero esse qui vellet ita maximis opibus circumfluere, ita omnium rerum in abundantia versari, ut neque diligeret quemquam, nec ipse (a quoquam) diligeretur? 7. Nec illud insipienter dictum, quanti se quisque faciat, tanti fieri a ceteris. Negabat ullam vocem verae amicitiae inimiciorem esse quam ejus qui dixisset ita amare oportere ut si quando esses osurus; quam sententiam et per se ineptam esse, et perditissimi hominis et sibi tantum consulentis.

Exercise XX.

1. Crede mihi, si vere loquor. 2. Si quisquam unquam literas et humanitatem adamavit hoc de hoc homine affirmare possum (*or, better,* ausim). 3. Si singuli animum tuum flectere nequibamus, tamen movere te precibus universi debebamus. 4. Quod si te tot exempla non movent nihil unquam movebit. 5. Si ex his pecuniis tantulum in tuam rem converteris statim te in vincula duci jubebo. 6. Me ipsum igitur ames oportet si unquam amici futuri sumus. 7. Si quisquam unquam inanem gloriam parvi fecit is ego sum. 8. Si quidquam praeter id quod honestum sit expetendum esse dixeris, vel quidquam aliud in bonis numeraveris, et honestum ipsum extinxeris, et omnem virtutis vim sustuleris. 9. Si quid ab homine tuae utilitatis causa detraxeris, inhumane feceris contraque naturae legem. 10. Cum semel bellum fieri coeptum erit si bellum omiserimus, pacis etiam spem omittendam esse reperiemus. 11. Quod si ne hostis quidem interficiendus fuit, cur mihi amico non est parcendum? 12. Si quando rebus suis desperare coeperant, sua omnia ad litus deportabant, seque quum naves conscendissent ad proximas insulas recipiebant.

Exercise XXI.

1. Si haec tecum patria loquatur, nonne impetrare debeat, etiam si vim adhibere non possit? 2. Dies me deficiat si reges imperatoresque temere in hostium terras mare transgressos cum maximis suis exercituumque suorum cladibus enumerare velim. 3. Ego si isto colloquio interfuissem nunquam istam vocem aequo animo pertulissem. 4. Quod si hostis in ultimos fines nostros bellum inferre potuisset, quantus terror, quantus pavor universae civitati impenderet. 5. Celeritate opus est, qua si maturius usi essemus bellum hodie haberemus nullum. 6. Qua mercede etiam si virtus

careat, tamen sit se ipsa contenta. 7. Qualis mihi fuisset vita, si puer praevidissem quot et quanta mala senex essem perpessurus. 8. Hi, si per te licuisset, ad hunc diem viverent et strictis gladiis (*or* ferro) communem reipublicae causam sustinerent, non deligati ad palum omni cruciatu affecti expirassent. 9. Si nolit optimus quisque quemquam sui similem evadere civem, id non reipublicae tantum sed paene omnis generis humani detrimentum sit.

Exercise XXII.

1. Etiam si monenti tibi obtemperasset et in diem alterum, tertium, vel plures iter distulisset, idem tamen eventurum fuit. 2. Quod si scisset quales se audirent homines, potuit rem obscurissimam diligentius aliquanto et cautius tractare. 3. Hi te neque adjuvare debent si possint, nec possunt si velint. 4. Ejusmodi virum, ea dignitate, iis moribus, eo ingenio, si ullus in te esset pudor, si qua pietas, si quid denique humanitatis, per contumeliam atque ignominiam dimittere non potuisti. 5. Si tibi omnia quae sperabas quae optabas prospere evenissent, ne tum quidem adeo secundis rebus efferri debebas. 6. Si tamdiu quam Nestor ille vivas, si aequalibus tuis si natu majoribus si minoribus supersis, tamen aliquo tibi tempore moriendum erit. 7. Haec mihi si eodem quo tu loco natus essem facienda fuere. 8. Mortem ei et omne supplicium denuntiavit nisi in fide populi Romani et ipse maneret et suos retineret. 9. Tanta ille itineris celeritate et tanta temporis opportunitate advenit, ut in incautos etiam et imparatos hostes inciderit et, nisi adventus ejus jam tum adfuturi casu aliquo facta esset significatio, non exercitus solum duas partes id quod fecit oppressurus fuerit, sed regem ipsum lectulo suo dormientem capturus. 10. Germani equites quanto maximo poterant cursu contendunt si possint prius in castra irrumpere quam adventus suus cognosci potuerit, ut nisi miles unus, qui aeger ex recente vulnere castris egredi nequiverat, quum vidisset quanto res in discrimine esset,

portam occlusisset, maxima eo die clades accipienda fuerit. 11. Tanta tum temporis omnium rerum inopia laborabant Gallorum copiae, ut Imperator, nisi fugae speciem ne animos eorum territaret timuisset, statim in fines suos reducturus fuerit. 12. Ac profecto tanta fuit in eo vis ingenii ac virtutis ut populus, nisi ipse eam curam suscipere noluisset, unius viri imperio ac judicio summam rem permissurus fuerit.

PART II.

Historical and Narrative Passages.

EXERCISE XXIII.

Itaque convocato consilio de summa re deliberari coeptum. Summa ibi exsistit controversia, et vehementissime ad noctem mediam disceptatur. Multi ultro inferenda signa clamitant, et aggrediendos statim hostes; ejusmodi pugna maxime augeri militum animos. Alii nihil temere agendum neque ex arce injussu imperatoris discedendum; intra octo dies conventura subsidia; interea neque re frumentaria premi et munimentis machinisque tutos quantasvis Indorum copias sustinere posse. Quid enim turpius esse aut stultius quam levissimo auctore de summis rebus consilium capere, cui nullo modo fides haberi possit? Suam tandem sententiam dux pronuntiat: brevem esse consultandi occasionem; unam esse in celeritate positam salutem; sero facturos quum adjunctis finitimis duplicatae essent hostium copiae (*or* quum multo majores hostium manus convenissent) relinquendam igitur arcem et regulo credendum (fidem habendam). His et ejusmodi dictis permoventur ceteri: consurgitur ex consilio, et pronuntiatur prima luce ituros; omnia ad proficiscendum parantur. [*Adapted from* CAES. *B.G.* v. 28.]

Exercise XXIV.

Rex, dum in via quae ad urbem ferebat cum uno e principibus inambulat, accidit ut puero cuidam ligna aliquot ex arboribus, quae circa viam longis dispositae intervallis (rarae) nascebantur, colligenti obviam fieret. Interroganti regi cur vicinam silvam, ubi lignorum copiam inventurus esset, intrare dubitaret, respondit puer, regiam illam silvam esse et edictum esse ab ipso rege ne quis vel lignandi causa vel ullam aliam ob causam ingrederetur. Ferunt etiam adjecisse pro certo se habere improbum illum hominem esse; neque enim aliter fieri potuisse ut se et violare leges et in periculum vel mortis vel gravioris alicujus poenae venire juberet. Neque enim eum esse regem qui (*or* ut) jussa sua negligentibus ignosceret, sed potius ea suis denegare solere quae Deus iis largitus esset. Rex, vir facillimi ingenii, tantum abfuit ut pueri petulantiae irasceretur, ut arcessitum postero die non modo non vituperaret sed etiam cum dono alicujus pretii domum dimiserit. Quod ea, inquit, quae sentiebas elocutus es, adeo non mihi displicuit, ut libertatis puerilis gratiam tibi et habeam et semper sim habiturus.

Exercise XXV.

Itaque ab omnibus (*or* nullo dissentiente) decretum est ut e navibus quae paucae supererant una ad Hispaniam mitteretur, et uti aurum lapidesque et cetera ejusmodi ad regem ipsum per legatos duo quibus Cortes fidem habere posset portarentur. Legatis praeceptum imperatumque est ut Cubam insulam praeterveherentur neu quaviscumque de causa neque unius quidem horae spatium eo appellerent, sed cursum ad Europam qua maxima possent celeritate contenderent. Sed accidit perincommode ut de legatis alter agellum quem in Cuba habebat visere cuperet ceterisque ut a septentrionali insulae parte jacta ancora parumper commorarentur suaderet.

Quo factum est ut res tota cum summo omnium periculo divulgaretur.

Eo enim absente nauta quidam, quum occasionem nactus suos parumper salutandi nando ad terram nocte evasisset, effecit sive per imprudentiam nescio quam sive consulto ut et advenisse navem et quo navigaret ad Proconsulem afferretur. At ille statim nihil antiquius habere statuit quam ut et legatos detineret et provideret ne qui ad Hispaniam a Cortesio nuntius perveniret. Itaque naves duas quas celerrimas habuit ad Marienum circum misit, iisque quos imposuerat imperavit ut summa diligentia caverent ne missi a Cortesio effugere possent.

Illi autem paullo serius advenere. Nam Cubanus quidam praefectum navis, quem jam et mora pigebat et inconstantiae pudebat suae, monuerat ne ultra cunctaretur; isque quae pararet Proconsul ille certior factus pridie quam naves advenerant, quarum praefectus eum quavis ratione discedere prohibiturus erat, sublata ancora in altum cum suis omnibus avectus est.

Exercise XXVI.

Tandem regulus quidam, vir spectatae fidei, quum aegre in castra nostra pervenisset, omnes finitimas nationes bellum flagitare monuit; trans flumen nostros infeliciter pugnasse; congregari quotidie suos et arma poscere. Se Anglis tot tantorumque beneficiorum et habere et habuisse gratiam et semper habiturum fore, sed suorum studiis et tot tamque bellicarum nationum conjurationi non (*or* nullo modo) ultra resisti posse.

Dicunt Praefectum ei benevolentiae gratias egisse, sed dictis ejus (dicenti) parum credidisse (parum fidei habuisse). Certo scio respondisse eum nihil se in praesens facturum esse, sed litteras ab Imperatore exspectaturum; de re frumentaria nihil laborare, et munimentis machinisque tutum quantamvis Indorum vel obsidionem vel oppugnationem sustinere posse.

Ego vero et frater tuus aliter sentimus; cognitum enim habemus vera dixisse regulum (illum); ardere omnem (univer

sam) Indiam; multas civitates jam vel defecisse vel ad defectionem spectare (de defectione cogitare); reliquas ad defectionem sollicitari; fore ut perpaucae invitantibus suis resistere possint; militibus eorum confidere non posse; gravissimam denique impendere seditionem.

Exercise XXVII.

Multo postea, quum inclinare Cortesii fortuna videretur, maximus timor militum animos incessit (*or* invasit). Erant quos audacissimi incepti jamdiu poeniteret, taederetque tamdiu domo ac patria carere (*or* abesse). Adeo labores illi numquam finem habituri esse videbantur; pigebat tot suorum, fortissimos viros, amisisse; et omni spe lucri dejectos pudebat duci, homini omnia speranti, omnia pollicenti plus quam aequum erat, credidisse. Neque enim illud dissimulare inter se poterant neque aurum se nec divitias quas in Mexica plerique exspectassent invenisse; sed partim vulnera, immaturam partim mortem, egestatem omnes ac miserias invenisse. Haec fere inter se fremere ac conqueri.

In hac summa omnium alienatione, narrant centurionem quendam qui antea Narvesio duce stipendia fecerat (*or* N. ducem secutus erat) hunc in modum locutum esse (*or for* narrant *use* dicitur *with nom.*). Satis, inquit, apparet, milites, et statim nobis proficiscendum esse nec diutius huic Cortesio, homini plane furenti, parendum. Hic enim manentibus manifestum est aut trucidari nobis, velut pecora, necesse aut ad fatum magis vel ipsa morte horrendum reservari. Jam illae ante oculos fumant arae et novas postulant victimas. Licuit nobis non ita multis ante diebus domum integris ac praeda onustis reverti, id quod et poteramus facere et debebamus. Nos vero tot menses neque nobis neque iis quibus cavere debuimus, sed uni homini eique lucri ac famae avidissimo consultum volumus. Quare neminem nostrum pudeat stulti-

tiae se suae poenitere fateri, neque amentiae alienae poenas velle solvere.

Exercise XXVIII.

1. Initio aestatis quum extra hostium munimenta propter immodicos (inusitatos) ejus anni aestus maturescere frumenta, et intra urbem fontes puteique exarescere inciperent, Genuenses, qui alterum jam inde a prima oppugnatione annum obsessi interclusique, undecim illis mensibus nec commeatus quidquam nec militum subsidii ad id temporis accepissent, et rerum suarum et spei poenitere coepit. Tertius jam mensis exibat quum Princeps se intra tricesimum diem iis auxilio adfuturum esse per litteras fidem pollicitus erat; quem ad diem praesto fore pro certo habuerant; qua re depulsi et quum jamdudum aquae cibique omnium rerum inopia quotidiana premerentur constantissimus quisque deficere animo et obsessionis eventui timere visus est.

2. Jam eruptiones nocturnas diurnasque, quae ad id tempus crebrae et fere quotidianae erant, tum intermitti et raro fieri coeptae, jam propter (prae) hostium multitudinem et suarum virium defectum facere destiterant (*or* nequibant); peste etiam quae ex infimo hominum genere orta jam ad omnes pervaserat magis magisque indies laboratum est; et satis apparebat aut urbis obsidione eximendae spem apud socios abjectam esse, aut vitas illos suas ac fortunas in periculum deducere nolle; accessere crebrae ad hostem transitiones; homines de plebe desperata jam salute non jam singuli (frequentes) de nocte urbe excedere et fidem hostium implorare ut sibi ad agros suos confugere liceret.

Exercise XXIX.

Et jam in meliore reipublicae et fortuna atque spe multa ex oppidis quae ad Poenos desciverant in fidem P. R. redierunt. Sed Tarentinorum defectionem, quae jam diu in spe Hannibali

et in suspicione Romanis erat, fortuita quaedam res maturavit. Tarentinus quidam, qui jam diu per speciem legationis Romae erat, obsides Tarentinos crebris colloquiis sollicitatos quum eo impulisset ut secum occulti itineris comites facti Roma profugerent, omnes ad Terracinam comprehensi Romamque retracti approbante populo de saxo dejecti sunt. Cujus poenae atrocitas nobilissimae in Italia Graecae civitatis ita animos irritavit tum publice tum singulos privatim, ut quisque tam foede interemptos aut propinquitate aut amicitia contingebat, ut omnem Tarentinis desciscendi a Romanis et se suaque omnia infestissimis erga Romanum nomen hostibus tradendi dubitationem momento fere temporis exemerit.

Exercise XXX.

Tandem ex mea omniumque sententia placuit mitti qui de dedenda arce cum praefecto agerent; quid enim indignius quam a regio exercitu alterum jam mensem et obsideri et oppugnari oppidum ignobile; et qui omnes belli artes sub te magistro praestantissimo edoctus de summis ducibus validis exercitibus tot victorias reportasset, eum adversus nautarum manum et tumultuarium tironemque militem summae rerum periculum facere. Sed quum is diem de die differret, et modo per frustrationem tempus sibi ad deliberandum posceret, modo ferociter et summa sui fiducia responderet, sensi nihil ultra nec cunctandum esse nec tempus terendum esse; et aut vi et armis expugnandam quamvis validam arcem aut incepto cum summa mea militumque ignominia desistendum.

Exercise XXXI.

Tandem pater filiusque a sene quodam fluvium trajecti sunt, qui et invitum se id facere dictitabat et pretium operae suae haud levè poposcit. Expositos ingens circumstetit multitudo unde venerint, quam ob rem eam terram visere ausi sint,

utrumque rogitantium. Illi qui eos de vera adventus sui causa celatos vellent ficta respondere, et ab omnibus petere, eumque qui ceteris praeesse videbatur flagitare, ut se ad regem ducerent. Hoc poscentibus diu se omnino id velle facere negabant; tandem illud se reformidare dixerunt ne de loco ubi habitaret ille docti cum exercitu Hispanico brevi eodem redirent.

Exercise XXXII.

Legati, ubi haec audierunt, flentes ad genua ejus provolvuntur. Orant, obtestantur ne se in rebus tam trepidis deserat. Quo enim se, repulsos ab Romanis, ituros? nullos se socios, nihil usquam aliud spei habere. Potuisse se extra id periculum esse si decedere fide, si conjurare cum ceteris voluissent: nullis minis, nullis terriculis se motos esse, sperantes satis opis satis auxilii in Hispanis futurum; quod si nullum sit, invitos ac coactos se defecturos. Cum ceteris potius suorum perire malle quam solos inopesque a suis ipsos civibus opprimi. Et tum quidem sine responso dimissi legati. Consulem nocte quae insecuta est anceps cura agitare. Nolle deserere socios: nolle minuere exercitum, id quod aut moram sibi ad dimicandum, aut in dimicando periculum afferre posset.

In the last clause *id quod—poterat* would make it an explanatory remark of the narrator: see Introduction, 127.

Exercise XXXIII.

1. Jam illucescebat; rex suorum ordines nudo capite, vultu hilari praetervectus est (*or* -vehitur); ubique subeunti acclamatum est, nec umquam antea tam alacer fuerat miles, tam fiduciae plenus. Incalescente deinde sole nebula quae campo insederat subito dispersa est, et liquida jam luce conspiciebatur hostilis exercitus loca tenens paulo editiora quo se pridie receperant; arma, scuta, signa infuso sole fulgebant (collucebant). Ipse

pulcherrima specie (*or* -o aspectu) parumper se delectavit; tum ad legatos conversus, Heri, inquit, aliquid effecimus; reliquum opus conficiamus hodie. Simul omnibus invadendi dat signum.

2. Jam ad summum jugum perventum est. Mitescente venti vi, fessa ascendentium et gelu rigentia membra (*or* corpora) recreabat aestus meridianus. Ipse primus ad verticem pervenit; primus campos latos fertilesque oculis subjectos (*or* qui subjecti oculis patebant) tacitus maestusque despiciebat. Quippe loca ipsa unde tam invitus puer excesserat, quae adulta jam aetate toties desideraverat, jam senex spectabat. Tum ad suos conversus qui vix prae fatigatione et lassitudine moveri poterant, fluvios, oppida, templa, arces monstrare et enumerare, nota sibi omnia, omnia carissima. Sero scilicet verterat se Fortuna.

3. Tum senex ille infelicissimus palo alligatur, incenduntur ligna (*or* sarmenta). Quum comburerentur igni membra vicit cruciatum corporis animi tranquillitas et beatioris post mortem vitae spes certissima. Primum omnium porrecta dextra, serus inquit, id quod oportuit, feci; hac dextra peccavi; haec corporis mei pars prima det poenas. Circumstabat morientem frequens multitudo, et viri nuper potentissimi honoratissimique interitum spectabat. Tandem extincto igne, taciti atque maesti domum dilapsi sunt.

Exercise XXXIV.

Et ipsi per instructa omnia ordinibus (*or* multitudinem ordinatim fere instructam) virorum mulierumque, undique ex agris effusorum, inter vota et preces et laudes ibant. Illos praesidia reipublicae, vindices urbis imperiique appellabant; in illorum armis dextrisque suam liberûmque suorum salutem ac libertatem repositam esse. Deos omnes Deasque precabantur, ut illis faustum iter felixque pugna, matura ex hostibus victoria esset, damnarenturque ipsi votorum quae pro iis suscepissent;

ut, quemadmodum tunc solliciti excedentes prosequerentur, ita paucos post dies laeti ovantibus victoria obviam irent.

[Liv. xxvii. 45.]

Exercise XXXV.

1. Rex quum obsideri coeptum esse oppidum audivisset, statuit cum copiis quae ex recenti clade paucae supererant statim proficisci. Tribunos igitur militum ac centuriones una cum legatis ad se convocavit et (*or* convocatis *with abl. abs.*) consilium suum exponere perrexit. Scitis, inquit, omnes haec omnia plena hostium esse; bis eos castra nostra expugnare conatos esse; efficere quidquam nequivisse; tamen constitui nihil ultra morari (morandum esse), sed hac ipsa nocte per medios hostes iter facere. Dicunt fortunam fortibus favere; nos et viri fortes audeamus esse, nec iis indigni qui ceciderunt in acie, nec iis quos domi reliquimus; ego qui saepe maximos exercitus in aciem duxi, idem volo vobis et dux itineris esse et omnium periculorum socius. Rex esse vester desinam, miles de integro fieri assuescam. Malo bonus esse miles quam rex improbus et ignavus.

2. His illi auditis alius aliter moveri, omnes vero regis virtutem constantiamque admirabantur, et vix hiscere audebant. Deinde alius alium intuentes sententias dicere et velle et iidem nolle videbantur. Primus respondere ausus est senex quidam e centurionibus qui stipendia multa cum summa laude ipso rege duce fecerat. Nolo, inquit, ignavus vel esse vel haberi; omnia audere volo quae homo facere potest; sed nolo aliter loqui ac sentio; audeo igitur, id quod facere debeo, pro ceteris dicere. Fortem esse aliud est; aliud temerarium; qui festinanter incipiunt interdum desistunt primi; verum est fortunam, id quod dicis, fortibus favere; nec tamen prudentis est fortunam ultra id quod aequum (*or* plus aequo) est temptare. Exercituum duorum si unus oppressus erit, de altero

actum erit. Si tempus occasionemque opperiri vis, alter alteri subvenire poterit.

Communia monebat sed eadem satis perspicua; postquam loqui destitit, ceteri (*or* reliqui) alius aliud suadere; alii proficisci statim volebant, et tenebris nocturnis et hostium securitate uti; alii cum veterano centurione consentire, iidem nimiam ejus dicendi libertatem inculpare; Rex omnes tacitus audiebat; constituit eadem quae decreverat facere.

Exercise XXXVI.

1. Ubi occiso in Saraceno bello patre, ipse paene infans regno successit, brevi intellexit Henricus quantulum apud Castiliensium principes nomen regium valuerit. Et quum ad adultam aetatem (*or* jam adultus quum) pervenisset et videret quantum opes suae nobilium aviditate et fraude imminutae fuissent, multa eorum quae amiserat (*or* quibus spoliatus erat) hac tandem ratione, si iis quae de rebus Hispanicis traduntur fides est habenda, recuperavit.

Quum ad vesperum quondam paulo serius ex venatione domum rediisset, adolescens plus solito labore ac fame confectus coenam sibi nullam parari aegre tulit. Querenti et indignanti demonstravit villicus sibi neque pecuniam superesse neque fidem, neque habere unde ea quae opus essent ad victum quaereret. Interea audito magnas apud principem quendam, qui prope habitabat, celebrari epulas et vicinis licere per accumbentes magnifici convivii spectaculo frui, ipse quum iis quae venatione ejus diei ceperat famem satiasset, et dolori parumper temperasset, ea facere statuit quae inclytum illum apud Mahommedanos principem fingunt (in fabulis) fecisse.

2. Itaque mutata veste, et sumptis, quantum potuit, pagani hominis vel famuli specie habituque, domum ingressus est, et turbae spectantium immixtus, tum demum intellexit quantum interesset inter egestatem suam, et illorum luxum divitiasque qui adeo non regis sui inopis pueritiae tutelam ac patrocinium

suscepissent, ut nihil intentati reliquissent ut (*or* nihil praetermiserint quin) opes a majoribus suis bello contra Mauros gesto conquisitas (*or* comparatas) ad se averterent. Posteaquam unam alteramve horam spectasset et tantam auri argentique vim ceterosque ejusmodi conviviorum apparatus ostentare conspexisset, quantam apud privatum quemquam inveniri nusquam posse putârat, domum rediit, et quum villico homini fidelissimo vehementer praecepisset quantum sua (*or* salutis suae) interesset ne quid a se factum vulgaretur, ad urbem postero die sub lucem profectus est.

Exercise XXXVII.

Iisdem igitur quibus apud collegam dictis, sed majore etiam studio (*or* pluribus etiam adjectis) causam egit. Cogitaret cum quanto suo periculo reginam suam in judicium vocaturus esset. Neque enim hanc ei, qui se tanta ignominia affecisset, ignoturam; immo si umquam potestatis suae et juris vel aliquantulum recepisset, statim nec id quidem injuria oppressuram. Nec reginam Anglorum id commissuram ut[1] haec suadentem aperte laudando e periculo eximeret. Quibuscumque enim indiciis comprobatum esset (Mariae) crimen, ipsam nihilominus adductum iri ut[1] rem dijudicaret. Modo postularet ut re cognita sententia pronuntiaretur, profecto intellecturum esse quantas ea insidias agitaret, et quanto minus igitur sibi conveniret ut suam ipse reginam ream eo crimine faceret.

Exercise XXXVIII.

Cortesium monuit tot adesse hostes quot numquam antea; castrorum situm eum esse quem numquam ad id temporis

[1] The periphrases *id commissuram ut . . . adductum iri ut . . .* are necessary for clearness. *Nec Elizabetham haec suadentem . . . exempturam esse* would be obscure: and *quae . . . non dijudicatura esset* would not necessarily imply "seeing that" . . . : for the mood must be subjunctive in any case.

vidisset; fluvio eos et collibus summa sollertia usos esse; illum interruptis pontibus deseruisse, hos validis praesidiis obtinere: nec eum finem periculi esse; praeterea suorum animos ac virtutem non eam esse quae pridie fuissent. Videri eos non jam victoriam sperare, nec existimare in tanta loci iniquitate posse a se superari tantam hostium multitudinem quanta tum eos clamore ac contumeliis ad proelium provocaret. Respondit dux impavidus se longe aliter rem eventuram esse quam ille exspectaret promittere.

Exercise XXXIX.

Jam vero Cortes, ne omnis eorum quae adhuc et perpessus erat et gesserat interiret fructus, ea quae (*or* consilium quoddam quod) jam diu cogitabat efficere statuit. Nam quum cognitum haberet (*or* intelligeret) omnia temptaturos inimicos ut regis animum a se suisque alienarent, decrevit navem statim ad Hispaniam mittere eo consilio ut ad regem ipsum epistolam scriberet, et illi quales res quantasque perfecisset pronuntiaret et quam spem vel lucri vel imperii in futurum concepisset. Quo facto effecturum se speravit ut et omnia quae fecisset rata ille haberet, et ut ipsius benevolentia et principum gratia sibi conciliaretur. Milites vero ne tantam praedae suae partem remittere nollent, et quo id fieri quod facturus erat aequiore animo paterentur, exposuit quae et quanta praemia jure possent exspectare, et quot quantasque difficultates jam antea pervicissent (*or* superassent).

Exercise XL.

Sed in subigendis hostibus eo majorem habebat difficultatem quam qui ante eum in Peruviam venerant; quod ad illos taedio imperii Hispanorum Peruviani deficiebant, huic ex nota et usurpata libertate in servitutem asserendi erant. Sed ea in illo viro vis animi atque ingenii fuit, ut omnia tam

maxima quam minima ipse adiret atque ageret; nec cogitaret modo imperaretque quae facienda (*or* quae in rem) essent, sed pleraque ipse per se transigeret; nec in quemquam omnium gravius severiusque quam in semet ipsum imperium exerceret; parsimonia, vigiliis, labore cum infimis militum certaret; nec quidquam in exercitu suo praecipui praeter honorem atque imperium haberet. [*See* Liv. xxxiv. 18.]

Exercise XLI.

Erat in castris Crassi unus ex legatis ejus C. Cassius Longinus, qui quum Caesaris esset legatus summa laude illo duce bello Gallico interfuerat. Et miles ille quidem manu fortissimus tamen in rei militaris vel usu vel ratione haud mediocriter versatus, quamvis (*or* quum) Ariamnes, qui nescio quo pacto se in Crassi gratiam fidemque insinuaverat, fausta omnia sperare juberet, non dubitandum esse sensit quin et ille ficta omnia promitteret et hic rem aut calamitosam (perniciosam) aut periculosissimam experturus esset. Qui igitur, quamvis (*or* homo) modestiae disciplinaeque militaris semper studiosissimus, tamen id egit ut Imperatori ultro dissuaderet ne pulchra pollicenti barbaro fidem haberet. Ut aliae sint, inquit, meae, aliae tuae partes, tamen spero fore ut quamvis libere dicenti, modo vera dicam, ignoscas. Et equidem pace tua dixerim: castiges licet Imperator legatum, omnes licet impudentiae incusent, quae sentio exponenda existimo. Quippe tu quamvis cupias signa Romana ultra Seleuciae moenia ad mediam Bactriam proferre, et velut Alexander alter ad eum qui Indorum littus alluit oceanum victor pervenire, tamen imperatoris est considerare quot fortissimorum hominum sanguine tot rerum gestarum vel prima pars constet necesse sit. Nam etiamsi hostem qui nunc fugae simulatione nos ad cupidius insequendum per steriles ardentesque campos allicit saepissime pugnando vicerimus, haud scio an istiusmodi victoriae

praesens calamitas cui mederi possit anteferenda sit. Nam sicut boni militis est nullum reformidare hostem, ita boni ducis nullum hostem antea quam expertus sit parvi facere.

Et Parthi quidem, etsi arcubus sagittisque utuntur, dissimillimi sunt eorum qui ita in aliis terrae orbis partibus legionibus nostri circumfusi sunt sagittarii ut ne unius quidem manipuli mpetum sustinerent. Qui vero equo vectus optimo et iis tectus armis per quae ne Romanum quidem pilum penetrare possit, e longinquo tutus ipse militis nostri pectus (medium) potest transfigere, nulli Romanorum est contemnendus hostis. Et caveamus ne arbitremur hujusmodi fuisse eos quorum infinitam fere multitudinem velut pecudes prae se egit Alexander, quum et regnum Persicum ferro evertit et ad ipsos mundi fere terminos cum parva manu pervenit victor. Haec dicentem jussit pro imperio tacere Imperator, et quamvis vehementissime postea et summo studio ea quae dicturus erat postea exponeret, tamen in incepto perseverandum esse putavit vel, ut verius dicam, perseverare decrevit.

EXERCISE XLII.

Constat Londini apud utrumque senatum perturbationem maximam incidisse, ex quo nuntiatum est regem cum justo exercitu e Salopia profectum esse, pugnamque, quum primum urbanis copiis occurrisset, profecto commissurum. Per vulgus tamen ineptam illam famam diligenter serebant, regem scilicet neque ipsum imperare et in exercitu illo optimatium circumductum fugam circumspicere (*or* fugae studere): id quod ei per occasionem concessurum esse ducem sperabant. Manu consertum esse primi nuntiabant, qui primo impetu terga dederant; qui se valde celeriter e periculo receperant, neque se ante tutos esse credebant quam longius profecti essent quam ut quisquam insequi posset. Illud quidem pro certo habemus plurimos militum ducesque haudquaquam ignobiles, pugna post meridiem commissa, Sancti Albani urbem triginta millia passuum

distantem ante noctem pervenisse. Qui, ut fit apud desertores sui excusandorum causa, eversa omnia retulere, regiumque exercitum terribiliorem esse quam cui resisti posset.

Exercise XLIII.

Atque hic quidem ea accidisse ferunt, quae de Hannibalis somnio traduntur. Etenim in quiete visum ab eo juvenem divina specie, qui se ab Jove diceret ducem in Italiam Hannibali missum; proinde sequeretur, neque usquam a se deflecteret oculos. Pavidum primo Hannibalem nusquam circumspicientem aut respicientem secutum esse; deinde quum quidnam id esset, quod respicere vetitus esset, agitaret animo, temperare oculos nequivisse: tam vidisse post se serpentem mira magnitudine cum ingente arborum ac virgultorum strage ferri; ac post insequi cum fragore caeli nimbum. Tum quae moles ea quidve prodigii esset quaerentem audisse, Vastitatem Italiae esse; pergeret porro ire, nec respiceret neque ultra quaereret, sineretque fata in occulto esse.

Exercise XLIV.

Illud a Napoleone illo, quem nemo rei militaris mediocrem auctorem habuerit, persaepe dictum est (*or* illud saepe N. ille . . . dicere solitus est), nihil ei qui exercitum in fines hostium duceret perniciosius esse quam hostem plus aequo (*or* plus quam aequum esset) contemnere. Et profecto locum vel castris vel pugnando diligenter capere, impedimentis sauciis aegris satis cavere, providere rei frumentariae et omnibus quae bellum in aliena terra gerentibus usui sunt, tanti res sunt momenti quanti nemo belli inferendi paulo imperitior facile crediderit (*or* credere velit). Ejusmodi res et permulta similia neglexisse et inclytis ducibus et fortissimis militibus, id quod omnes qui scriptoribus legendis dedere operam certo sciunt, exitio fuit. Illi scilicet inscitiae suae et temeritatis poenas vel morte vel dedecore solverunt: hi propter ducum errores, id quod saepe fit, absumpti sunt.

Exercise XLV.

1. Satis jam apparebat et appropinquare nostros et tot miseriarum adesse finem. Circa meridiem obsessis nuntiatur trepidari in hostium castris; prima luce ad arma concursum esse; de summa re nunc agi; aliis videri Sertorii adventum exspectare; aliis obviam ei proficisci. Praeterea fumus procul conspectus esse dicebatur, quod incedentis exercitus signum esse sperabant. Mutari tandem Fortuna et a nobis stare videbatur.

2. Nostris vero fame, siti, vigiliis, labore et pugnando confectis videbatur dies numquam finem habiturus. Litterae a Caesare per speculatorem allatae esse credebantur ipsum ante occasum solis se perventurum esse sperare. Sed jam advesperascebat, et alii cunctari nostros indignari, alii de salute desperare (*or* salutem, *or* -i), alii deceptos se ac destitutos queri. Subito pervasit oppidum rumor, et brevi in arcem pervenit, dilabi tacitos et fugere passim hostes, nec usquam resisti vel pugnari.

Exercise XLVI.

Tum ille, nihil temere agendum; quid enim sibi posse in ejusmodi tempore (*or* discrimine) aut temeritatem prodesse aut trepidationem; ab ipso[1] non ab illis, si quid gravius accidisset reipublicae, rationem dandam esse, nec velle se quemquam illorum invitum ibi retinere. Proinde (*or* quamobrem) si quis ex illis rumore illo terreretur, e castris excedat, id quod nullo negotio, nullo periculo, modo ne cunctando tempus tereret, perfici posset (*or* nullo id negotio . . . posse). Nihil igitur illos agere quod populi Anglicani fidem implorarent. Tum id factum oportuisse quum rex, vir egregius, continere in officio quamvis invitos posset, necdum ultro ab illius imperio et ab

[1] *Se* might be ambiguous here.

Anglorum societate descîssent (*or* necdum commisissent ut . . . desciscerent). Legatos suos si et religionibus impeditos et maris insuetos tamen mare transmisisset, quid putarent ab Anglorum vel rege vel senatu impetraturos fore. Ecquem (*or* quemnam) creditūrum, qui nefario scelere hominem omnium mitissimum regem trucidavissent, eos fidelissimorum sociorum castra non sine justa causa oppugnasse. Se quidem, si illi aut quod rex vel ambitiose vel parum pie rempublicam procuraret aut quod ipse aliqua in re deliquisset graviter tulissent, libentissime conquerentes auditurum fuisse, et aequa postulantibus satisfacturum. Jam vero Deos et absentes sero illos et frustra testari.

Exercise XLVII.

Oceanum intuenti subjecto oculis litori alludentem multa et tristia obversabantur animo; tot tantique exercitus paene occidione occisi; tot duces caesi captique aut, quod magis animum angebat, a se alienati; deletae classes tot annos tantis impensis et pecunia et labore comparatae, mutati civium animi, amissi socii, repudiata quae adolescenti nupta fuisset, imperii et dominationis frustra concepta et perversa spes. Illud etiam succurrebat (*or* huc accedebat quod *with subj.*) tot se tantisque rebus praeclarissime gestis, perdomita armis Europa, post tot fusos fugatosque hostium exercitus, tot reges in fidem acceptos, prolatatis in singulos annos Galliae finibus jam exiguae insulae in perangustis finibus exsulantem sedere, totam Galliam amissum civium florem ac robur desiderare, restituto regi plaudere, sui et exsulantis et desperantis oblivisci.

Exercise XLVIII.

Nox sollicitos suspensosque oppressit. Sed tertia vigilia dum insomnes lucem fatumque opperimur legato (*or* praefecto) nuntiatum est, literas a speculatore quodam qui per hostium castra parum (*or* paullo remissius) custodita incolumis per-

venisset allatas esse, quas ille cupide arreptas, id quod facile credideris, laetus et agens gratias perlexit. Scripsit imperator invitum se ac coactum fidem quam dedisset fefellisse; omnia quae posset fecisse; equites quos paucos secum haberet, pugnando et pabulando confectos esse; omnia quae peragrassent armatis hostibus infesta fuisse; in singulos dies in singulas fere horas pugnatum esse; satis tamen se rei frumentariae quod intra tres illos dies ab hoste cepissent, supportare; id quod in tanta jumentorum paucitate haudquaquam facile esset; ante lucem se milites quos optimos haberet in hostium castra praemissurum; quantum in se esset vi iter in urbem facturum, et miseriis nostris finem impositurum.

Exercise XLIX.

1. Is vero ita regno potitus imperium vi tantum et caede conditum jure legibusque ac moribus de integro condere ac stabilire properat. Quibus[1] quum assuescere homines inter bella non posse intelligeret, efferari enim militia animos (*or* quippe eff. mil. an.), id primum egit ut ferocem populum armorum desuetudine et pacis artibus mitigaret. Et quum finitimorum societate ac foederibus conciliasset animos, ne luxuriarent otio animi quos metus hostium ac disciplina militaris continuerat, rem ad multitudinem imperitam et illo tempore rudem longe efficacissimam, Deorum metum publice injiciendum arbitratus est.

2. Cujus vero Principis id erat ingenium, tot tantaeque virtutes, ut vivum summo amore, mortuum haud ficto luctu et veneratione prosequerentur cives. Quem tamen satis constat inter scriptores adeo non prospera semper Fortuna usum esse, ut et adolescens saepissime rem male gesserit (*or* in acie victus fuerit; *or* iniquo Marte pugnaverit); nec prius

[1] Note the omission of any attempt to render "these better principles," as being a mere rhetorical amplification.

quam (*or* et tum demum, quum) mediae aetatis extremum fere cursum peregisset[1] superbos hostes bellum intra fines suos inferre solitos tam insigni victoria oppresserit, ut et regnum suum et libertatem suorum in posterum confirmaret. Movit[2] ea res ut fere nihil aliud hominum animos. Itaque regnum in incerto prius jure et ancipiti bellorum eventu positum jam tandem in animis et amore civium uno consensu stabilitum habuit (obtinuit).

Exercise L.

Nuntiato (*or* comperto) non tam suam quam imperatoris vicem sollicitos esse, et periculum esse (*or* et cavendum, *or* videndum esse) ne, ut eum salvum praestarent (*or* ejus saluti providerent), segniores in oppugnando fierent, concessit invitus ut eos qui scalis muros conscensuri essent (*or* erant) ne ipse duceret. Tum crescentibus Romanorum animis et erectis scalis muroque applicatis atrocissimum certamen sequitur. Tandem (*or* jam) repugnantibus diu et acriter obsessis expugnata (*or* occupata *or* capta) arx, nec ullo temporis intermisso spatio (*or* nec ulla interposita mora) decurrunt certatim cum clamore victores in urbem, ubi adspectante rege et suos hortante Mexicanorum flos roburque pugnam sustinebat. Et hercule satis utrisque suppetebat causae cur omnes ad vincendum intenderent vires; utrimque enim de summa rerum et de ipsorum salute certabatur (*or* summa r., etc., agebatur).

Exercise LI.

Itaque quum in tabernaculum suum concessisset, et aliquantum ibi temporis dolore animi cruciatus (crebro suspiritu ac gemitu) consumpsisset, fidum e servis vocat cujus in custodia

[1] The clause *quam . . . peregisset* might come at the end of the sentence, after *confirmaret*.

[2] Note the departure from usual order for the sake of emphasising "impression," which has to be rendered by a Latin verb

venenum erat, et mixtum in poculo ferre ad reginam jubet, ac simul nuntiare, se libenter eam conjugem secum habiturum fuisse; sed quoniam arbitrium ejus rei, qui possent impedire, adimerent, id ei se mittere ne viva in potestatem Romanorum veniret: quamobrem generis ac fortunae memor sibi ipsa consuleret. Quo nuntio ac simul veneno accepto (*or* Quem quum nuntium ac simul v. accepisset), illud tantum respondit regina, si nihil melius vir uxori praestare posset, honestius se morituram fuisse nisi sub (*or* in) ipso prope funere nupsisset. Tum acceptum poculum impavida hausit.

[*Adapted from* Liv. xxx. 15.]

Exercise LII.

At hostes, postquam ex nocturno fremitu et exploratoribus suis proficisci nostros et relinqui castra senserant, statim valida manu in loco insidiis opportuno collocata (*or* collocatis in opportuno loco insidiis) adventum militum quos certissimae caedi destinabant animis exspectabant. Inde ubi vix agmen nostrum in profundam convallem, per quam eundum erat, descenderat, hostes ex utraque parte subito sese ostenderunt, novissimosque acri impetu premere, et primos collium ascensu prohibere coeperunt. Tum vero imperator, qui nihil antea providisset, huc illuc trepidare, concursare, cohortes ut res postulabat (*or* postularet)[1] disponere: haec tamen ipsa timide, ut solent qui in medio discrimine consilium capere coguntur. Pronuntiari jussit militibus ut impedimenta relinquerent. Quod consilium, etsi in ejusmodi casu reprehendendum non erat, tamen perincommode accidit; quum enim non sine summo timore ac desperatione factum videretur, et nostris militibus spem

[1] *Ut res postulabat* is the writer's statement, "as was necessary:" *ut res postularet* implies the thought of the General, "as he felt to be necessary."

minuit et hostes ad pugnam alacriores effecit. Tum vero e legatis unus, qui haec posse in itinere accidere praevidisset, et ob eam causam profectionis auctor non fuisset, nulla in re communi saluti et existimationi deerat.

[*Adapted from* CAES. *B. G.* v. 32, 33.]

EXERCISE LIII.

Cujus oratio adeo militum feroces animos commovit ut non modo haec suadentem (monentem) aequo animo audirent, sed divitias, quarum causa infestum periculis oceanum trajecissent (*or* transvecti) ignotas penetrassent regiones ejus arbitrio tradiderint. Nec vero quidquam magis documento esse potest quantum valeret apud omnes Cortesii ingenium ac constantia, quam quod hoc a suis impetravit qui haudquaquam eo erant animo, ut praedam tam novis et inauditis laboribus quaesitam facile essent remissuri.

Sed Hispani ita erant avidi ac rapaces ut tamen intelligerent omni sibi ope annitendum esse ne quisquam ita ducis sui consiliis obesset ut se et praemiis quae jam mediocria consecuti essent, et ingentibus quas mox se comparaturos esse sperarent opibus spoliaret. Tantum apud eos hoc valebat, ut nemo quae in manibus erant iis quae in futurum fingebant sperabantque posthabere dubitaret.

EXERCISE LIV.

Rex postquam equites, qui perpauci supererant, qua quisque posset opem ferre laborantibus jusserat, ipse pedites agmine quadrato in hostem educit. Dispersi equites per agros, quidam (*or* alii) vel locorum ignorantia aberrarunt, vel decepti clamoribus aliis ex alio exsistentibus loco, alii in paludum profundissimo limo cum ipsis equis hausti periere. Qui per

invia munitam viam secuti sunt, quum subito hostium in medium equitatum incidissent, ad unum omnes aut interfecti sunt aut capti.

In acie ipsa atrocissime pugnatum est. Ex hac parte multitudo ac disciplina, ex illa studium erat patriae ac desperatio. Multitudine tandem obruti Batavi. Multi cominus congressi periere, fugientes alii; vix quisquam iram hostium deprecatur, nemo impetrat (*or* nulli parcitur). Rex ipse in summum venit periculum. Nam ruente saucio equo praeceps ad terram concidit, nec multum afuit quin humi jacens oppri meretur. Saluti fuit quidam e suis, qui quum raptim ipse desiluisset, regem instante morte pavidum in equum subjecit suum, additis precibus ut subditis calcaribus se pugna ac periculo eriperet. Cujus pietatis brevi poenas dedit. Nam quum pedes aequare cursu fugientes non posset equites, ab hostibus undique ad regis casum concitatis confossus periit. Rex praecipiti fuga funestas suis paludes circumvectus, in arcem tandem, desperantibus jam omnibus incolumem eum evasurum, pervenit. [*Adapted from* Liv. xxxi. 37.]

Exercise LV.

Jam demum sensit dux ab imperito et barbaro hoste propter nimiam sui fiduciam deceptum se esse et circumventum. Quo se verteret, aut quemadmodum rem gereret? Victu carebant milites, nec vires cuiquam sufficiebant; neque ipse equites qui pauci supererant pabulatum emittere audebat; praeterea ipsa hostium multitudo qui sub ipso vallo vagabantur omnem subsidiorum adventus spem ademit. Satis apparebat intra biduum aut perituros fame milites aut a crudelissimo hoste captum iri. Itaque temeritatis eum suae et improvidentiae magno opere poenituit; sensit enim et has calamitates et futuram cladem sibi imputaturos omnes. Una spe se ipsum consolatus est fore ut hostes re frumentaria et ipsi premerentur, et aut re

infecta discederent, aut ducibus alia alio suadentibus tandem inter se pugnarent.

Duae legiones acie instructae sunt; sed quum rivus praealtis ripis interflueret, altera alteri subsidio venire nequibat. Itaque pugnabat pro se utraque, et utraque quantum in se fuit locum obtinebat et fere infinitam hostium multitudinem propulsabat.

Exercise LVI.

Cortesius quae poscebant milites intrepido animo immotoque vultu tacitus accepit. Quum finem dicendi fecissent, primum admirari se dixit quod adeo defecissent animo (*or* demisissent animos) ut quod in uno alterove proelio parum felici Marte pugnatum sit[1] de summa rerum desperaverint, et dignitatis suae atque fortunae jacturam facere velint. Monuit eos nulla fuga, ut vero nomine quam suaderent profectionem appellaret, pericula quae enumeravissent minui posse, tum a se ipsis quaerere jussit, num illud meriti essent socii qui tanto studio tanta fide, vel adversam vel prosperam fortunam secum ad id temporis pertulissent ut Mexicani hostis crudelitati et immaniati traderentur.

Quinetiam confirmavit nihil se dubitare quin omnia quae pollicitus esset perficere posset; magnopere confidere fore ut quae arcessivisset subsidia brevi ad se pervenirent. Quod ad se attineret, decrevisse in eo quod incepisset opere perseverandum; et victoriam se speravisse primum, et ultimum de ea desperaturum fore; sed nequaquam velle eos secum habere qui vel propter mollitiem animi vel ignaviam re infecta decedere vellent; (se) igitur nullo modo prohibiturum (*or* eos morari velle) quominus omnes decederent qui superiorum victoriarum immemores adeo recentem cladem (*or* recentia incommoda)

[1] On this rhetorical use of primary tenses of the subjunctive mood in ordinary *oratio obliqua* see Introd. **129**. We might also (more normally) write *pugnatum esset . . . desperavissent . . . vellent.*

acerbe ferrent ut id vellent perferre (*or* terga vellent hosti dare) quod optimus (*or* fortissimus) quisque pro summa ignominia haberet; sibi quidem audacissimum quodque consilium honestissimum idem ac tutissimum videri.

Exercise LVII.

Postero die convocato concilio omnia (*or* id) egit ut suorum animos adhortatione consolaretur obsecrare ne uno accepto incommodo plus aequo animos demitterent; errare, si qui in bello rem semper feliciter geri posse exspectarent (*or* exspectent); non virtute, nec rei militaris scientia, sed casu ac fortuito, vicisse hostes. Qui sic animo consternati propter brevissimi temporis incommodum de summa rerum desperarent, quid dicturos fuisse si subsidia non intervenissent ante noctem, si non ad castra sua haud magna jactura se recepissent, sed magna aliqua clades accipienda fuisset. Proinde ne quod accidisset lamentarentur, sed fortunae, quae quantum in bello posset (*or* possit) omnes scirent (*or* scire), agerent gratias, quod inceptam castrorum oppugnationem omisissent hostes, quod locum ubi pugnatum esset infecta re reliquissent, quod denique ex victoriae specie fructum illi percepissent nullum.

Exercise LVIII.

Dictator belli inferendi causas edicto exposuit (*or* edicto facto b. inf. c. comprobavit). Id naturam rerum videri ab initio voluisse, ut penes unum esset tota insula: quos enim ab omni externarum gentium commercio disjunctos mari Oceano saeptosque habuisset, his eam ad tuto et beate vivendum tamquam viam praemonstrasse; neque cum naturae consilio utriusque populi disciplinam et mores (instituta) dissentire (pugnare: *or* ab nat. consilio . . . abhorrere): qui enim lingua, moribus,

legibus iisdem uterentur, quid aliud eos quam in arctissimam conjunctionis et concordiae societatem jamdudum appellari? Ipsam tandem fortunam omnia quae obstarent amolitam effecisse ut ita in unum populum utrique possent coalescere, ut nullus jam invidiae, qualis inter populos exstare soleat, sive gloriae sive utilitatum causa locus patefieret. Quum enim apud Caledonios regnum obtineret femina, apud Anglos vir, peropportune accidisse ut iidem tam aetate quam dignitate inter se pares et accommodati essent. Et hercle quum pax stabilis ac diuturna fidem mutuam conciliasset confirmassetque, brevi fore ut inimicitiae ex veteribus injuriis collectae facile deflagrarent. Denique qua malorum veterum memoria adhuc accenderentur odia, eandem mox effecturam ut pacis atque otii delicias tamdiu majoribus ignotas et pluris facerent et vehementius foverent.

Exercise LIX.

Cum Hannibale nihil eo anno rei gestum est. Nam neque ipse in tam recenti vulnere publico privatoque ultro se Romanis offerebat, nec tantum hostem lacessere quiescentem ausi sunt Romani: tantam inesse vim, etsi omnia alia circa eum ruerent, in uno illo duce sentiebant. Ac nescio an mirabilior adversis quam secundis rebus fuerit; (quippe) qui, quum et in hostium finibus per annos tredecim tam procul a domo varia fortuna bellum gereret, quumque exercitum haberet ex colluvione omnium gentium mixtum, quibus non lex, non mos, non lingua communis, quibus alius habitus, alia vestis, alia arma, alii ritus, alia sacra, alii prope Dei essent, ita quodam uno vinculo conjunxerit eos, ut ne una quidem nec inter ipsos usque adversus duces seditio exstiterit.

[*Adapted from* Liv. xxviii. 12.]

Exercise LX.

1. Ibi quum maturato opus esse sentiret, auctore (consentiente et adjuvante) inclyto quodam medico, qui vivo (*or* regnante) patre domo regia familiarissimo usus post mortem ejus invita ac repugnante regina veneficii per speciem (*or* crimine) in exsilium pulsus erat, hanc excogitat rationem. Quum effecisset ut quam latissime manaret rumor gravissimo se morbo subito esse implicitum, aedibus se suis atque lecto aliquot dies continuit. Denique pronuntiatum est ingravescere morbum, in eo esse regem ut extremum duceret spiritum. Quibus auditis, quum et famae ei crederent nec id quod erant ullo modo suspicarentur, nobiles congregari ad aedes regias; alii quod immaturo regis sui fato dolebant, alii quod dolere se simulabant.

Quum omnes in ornatissimum conclave introducti essent, ubi Reges Castilienses externarum civitatum legatos accipere solebant, occlusis jussu regis foribus, ipse subito ingressus, posita omni valetudinis affectae specie, stricto ense et vultu ultra solitum severo in extremo conclavi consedit.

2. Nobiles ad triste spectaculum conversi (*or* intenti) alius alium (*or* inter se) pavidi intueri; quid illa res portenderet taciti inter se rogare. Rex tandem quum surrexisset virum quendam nobilissimum qui prope se adstat interrogat quot Castiliensium reges notos habuisset; quid sibi vellet admiratus ille tamen quatuor se vidisse respondit. Idem (ea) interroganti alter quinque respondit. Ceteri deinceps eadem rogati similia respondebant: duos alii, alii tres, plus quinque nemo. Rex interea auditis quae respondebant stabat parumper tacitus, et nudum tenens dextra gladium adstantes circumspectare; Telemachum alterum diceres, matris procos inimicos patris circumspicientem (haurientem oculis).

Tum dato quod convenerat signo armati intrant (*or* aderant) custodes duce veterano quodam milite, qui proximo regnante rege propter fidem ac virtutem insignis fuerat. Simul conspici carnifex securim gerens (*or* cum securi), et cetera, quae

ad supplicium usui sunt. Tum demum Henricus altissima (*or* sublata) voce Qui fit, inquit, vos ut reges vel unum vel alterum vel tertium, nemo plus quam quinque, ego paene puer plus viginti viderim? Vos jura, vos imperium, vos divitias raptas (correptas) habetis, quae salvis legibus salvo jure penes regem essent. Vos effecistis ut patrimonio exutus vix ipsa ea quae ad victum opus sunt rex haberem.

3. Perterriti Nobiles, morte ante oculos proposita, ad genua ejus provoluti (*or* projecti), iram deprecari, sibi ignoscant orare obsecrarique. Erant qui conversi ad veteranum legatum, quo duce multi contra Mauros pugnaverant, fidem ejus implorarent; polliceri omnes quae vel rapta vel aversa habebant omnia se confestim reddituros. Nec vero prius impetravere quam, pacto ipsos fore obsides, juravissent omnia se quae e ditione regia vel vi vel fraude abstulissent primo quoque tempore reddituros esse. Quae narravi, utrum vera sint an ficta vix ausim pro certo dicere; sed sive vera sunt seu ficta, magno sunt documento quo in statu ineunte saeculo quartodecimo regnum fuerit Hispanicum.

Exercise LXI.

Ergo principi visum est consilium audacissimum: ipsum quidem in hostes jam progredientes cum suis acriter incurrere, comitem autem instaurato agmine, si res ita tulisset, auxilium praestare. Consilio felici promptoque par eventus insequitur: princeps enim cum primipilanis suis tanta vi irrupit, ut quibus sese obviam tulit, eos funderet fugaretque. Equĩtum verō fere dimidia pars, ipsius ordine latius utrimque explicata, quum hunc impetum non accepissent, conversa subito in principem a tergo invehitur; in quos invicem comes ille, instaurato suorum agmine, a tergo ingreditur: re scilicet ita feliciter peracta, ut inter se cominus miscerentur, et ipso jam ferro dimicandum esset. [T. L. P.]

Exercise LXII.

1. Quae quum ita se haberent, neque exercitui jam Crassus timere et ipse idcirco meliora sperare, quia ab exploratoribus renuntiatum erat se postquam aliquot milia passum progressi essent ne unum quidem hostem conspexisse; praeterea nullo se modo dubitare, quoniam permulta equorum vestigia a Romanis (*or* nostris) aversorum vidissent, quin omnis Parthorum exercitus in fugam sit conjectus. Itaque ille, quoniam Dis Immortalibus placuit ut fortissimos Romani populi milites ad fatalem et calamitosam cladem perduceret, quo magis consulto deliberatoque opus erat (*or* esset), eo plus sibi confidere et spe victoriam praecipere visus est. Eo accedebat quod milites quoniam ad id temporis nullo resistente processerant (*or* processissent) contemptui hostem haberent quod secum in acie decertare parum auderent. Neque tamen vera vel dux sperabat vel ipsi opinabantur; adeo et hi et ille spe et exspectatione experturi erant quid in re militari possent Parthi etiam refugientes.

Nam Orodes bifariam copias suas partitus cum una parte in Armeniam irruperat ut de Artavasde, quod ultro cum Romanis de societate egerat, poenas sumeret. Alteri parti (*or* reliquis) Surenam praefecerat, mandato ut Romanis quoquo vellet modo resisteret. Non quo ille Romanos contemneret, aut sibi fore pulchrius putaret ut cum Artavasde bellum gereret Armeniamque vastaret; intellexit enim Crasso vix quemquam apud Romanos plus valuisse (*or* potentiorem umquam fuisse), nec is fuit Crassus quem parvi faceret adversarius Orodes; sed quod aut periculum timebat aut quid esset eventurum exspectare voluit, idcirco se longius amovisse videtur (*or* id egisse ut . . . amovisset).

2. Surenam igitur, quoniam et dignitate et laude militari primus post se florebat (*or* virum haud mediocri dignitate, sed

laude militari post se florentissimum), praemisit qui et Romanorum virtutem experiretur prior, et insidiis tempus (*or* rem) traheret. Quae res aliquantum secus atque ipse jusserat (*or* voluerat) evenit. Nam Surena et regis spe et suorum exspectatione citius rem (*or* negotium) confecit. Quum enim nollet aequo Marte cum Romanis decertare, tamen quoniam equitatu longe praestaret id concepit (*or* ingressus est) consilium ut Romanos ab Euphrate flumine, quo supportabantur et commeatus et omnes belli apparatus, in Assyriae vastos ac patentes campos abduceret, ubi et ab omni vel pabulandi vel aquandi vel lignandi facultate praetercluderentur, et animi eorum non modo victus ac rerum necessariarum inopia debilitarentur, sed ipsa locorum specie (*or* aspectu) tristi atque informi; nihil enim ibi iter facientibus in oculis fore quod jucundum esset; non arbores, non colles, non fluvios, non manu sata, ne herbas quidem; sed ingens et aequale arenae spatium, velut mare navigantes, circumjaceret.

Exercise LXIII.

Apud Polybium, auctorem haud spernendum, scriptum legimus Hannibalem post pugnam Cannensem decem e Romanis juratos ad senatum misisse, se in castra redituros nisi de iis redimendis impetravissent quos in ejus arbitrio fortuna (*or* belli eventus) posuerat.[1] E quibus novem re non impetrata rediisse: unum, qui paullo postquam egressus erat e castris rediisset quasi aliquid oblitus esset, Romae remansisse; itaque decrevisse senatum ut vinctus ad Hannibalem mitteretur. Sed illud[2] maximum. Octo hominum milia tenere Hannibalem, non quos in acie cepisset, aut qui ignavo mortis

[1] For this indicative see Introd. 129, 2.
[2] Introd. 160.

timore (*or* periculo mortis) diffugissent, sed qui relicti in castris a ducibus suis et multitudine hostium superati in deditionem venissent. Eos senatum non redimendos esse censuisse, quum id parva pecunia fieri posset, ut esset insitum militibus Romanis aut vincere aut emori. Qua quidem re audita fractum animum fortissimi hostis (scribit idem) quod senatus populusque Romanus in afflictis rebus tam excelso animo fuisset. [*Adapted from* CIC. *de Officiis* iii. c. 32.]

EXERCISE LXIV.

Italicis quidem scriptoribus si fides habenda est,[1] in nulla fere hominum aetate exstitit Alexandro illo Sexto foedior quisquam et nequitior. Quum enim ambitione effrenus, tum avaritia et libidine insatiabilis erat, neque modum saevitiae nec rapaci animo finem imposuit: quippe huic Pontifici flagitia, quicquid apud homines turpissimum admittitur, libenter imputant etiam illi scriptores quos ipsa probat Romanorum sacerdotium auctoritas. Accedit quoque illud dehonestamentum, quod majestatis crimina per secretos delatores primus intra fines suos exquirebat: quod si quis in se populus umquam dedecus admisit,[2] illis semper et libertas et res prosperae eversae sunt. Idem pontificio, gravissimo honore, ita fungebatur, ut rebus imperii consiliisque sacram dignitatem posthaberet; neque ineptum prae se tulisset aquilam illam Jovis antiqui signum, correptis fulminibus atrociter minantem. Jam vitia Pontificis privata, ut hominibus minus nocerent, ita foediora audivimus: nec raro ea, quae de aula illa accepimus, eam morum depravationem exhibent, quam nec cuiquam hominum concedere liceat, et in tanta dignitate et sancto etiam honore omnino aversemur. [T. L. P.]

[1] For the indicative see Introd. **132, 138, 139.**
[2] *Admisit:* see **139.**

Exercise LXV.

Ipse ut moenia ingressus ex superioribus locis urbem omnium ferme illa aetate pulcherrimam subjectam oculis vidit, illacrimasse dicitur, partim gaudio tantae perpetratae rei, partim vetusta gloria urbis commotus. Multa enim obversabantur animo: Atheniensium classes demersae, et duo ingentes exercitus cum duobus clarissimis ducibus deleti; tot bella cum Carthaginiensibus tanto discrimine gesta; tot tyranni regesque, praeter ceteros Hiero, quum recentissimae memoriae rex, tum ante omnia quae virtus ei et fortuna sua dederat, beneficiis in populum Romanum insignis. Quae quum universa occurrerent animo, subiretque cogitatio, jam illa momento temporis arsura omnia et ad cineres reditura, priusquam signa ad expugnandam urbem admoverat, praemisit oppidanos quosdam, qui intra praesidia Romana, ut ante dictum est, fuerant, ut alloquio leni hostes ad dedendam urbem pellicerent. Tenebant portas murosque maxime transfugae, quibus nulla erat per conditiones veniae spes: ii nec adire muros nec alloqui quemquam passi sunt. Itaque imperator, postquam id inceptum irritum fuit, signa referri jussit.

[Liv. xxv. 24, 25.]

Exercise LXVI.

Legati quum ad arcem pervenissent, Praefectum quidem movebant et civium consensus et quum alia occupata castella, tum ipsius urbis quod munitissimum erat proditum atque alienatum. Sed evocatum eum ad legatos conveniendos uxor ejus regis filia, quae ne in tali quidem tempore neque regium animum nec muliebrem spiritum exuisset, admonet de voce illa tyranni magni saepe usurpata (*or* vocis . . . usurpatae),

"pedibus tractum non insidentem equo relinquere imperium debere." Facile esse quo quis velit tempore, possessione magnae fortunae cedere; facere eam et parare difficile atque arduum. Paullum igitur spatium ad consultandum impetraret: eo uteretur ad arcessendos e Pisis mercenarios milites, quibus si pecuniam regiam pollicitus esset, omnia in potestate ejus futura. Haec consilia ipse neque tota aspernatus est, neque extemplo accepit, tutiorem ratus viam si in praesentia tempori cessisset. Itaque legatis renuntiare jussit quam primum se futurum in magistratuum ac civium potestate. Si intellexisset eos qui patriam liberassent servare etiam libertatem velle, et undique consuli in medium, non dubitaturum quin omnia quae suae fidei tutelaeque permissa essent, quoniam eum qui ea sibi commendasset suus furor absumpsisset, reipublicae restitueret. [*See* Liv. xxiv. 22.]

Exercise LXVII.

Legati dum prospera ad patriam navigatione utuntur, in castris Cortesii tanta coorta est conjuratio ut minimum abfuerit quin omnis ejus spes vel gloriae vel fortunae in irritum ceciderit. Quippe inter milites ejus fuere qui vel militiae taedio vel patriae desiderio vel ob causam nescio quam aliam alienatis a duce animis eo inter se conjurarent consilio ut una navium vi capta ad Cubam unde plerique profecti erant reverterentur. Sed Fortunae beneficio accidit ut nauta quidam cui invito persuasum erat ut huic se factioni adjungeret (*or* adscriberet), adeo consilii conscientia perturbaretur, ut ea ipsa nocte qua profecturi erant nullo modo sibi temperare posset quin totam rem ad Cortesium deferret.

Quibus ille auditis nec dubitare potuit, si illi consilium perfecissent, quin futurum esset ut efficere nullo modo providere posset ne ad plures serperet ea pestis; neque id eum fugiebat nullam omnino esse causam quominus in hominibus qui et

contra fidem et contra disciplinam militarem fecissent omni suo imperio uteretur. Nec vero is erat Cortesius ut (*or* qui) ullo periculo deterreretur quin id quod sibi optimum visum esset (*better than* videretur) exsequeretur. Veritus igitur ne si hanc occasionem omisisset tanto malo serius occurreret, jussit comprehendi eos quorum nomina delata erant, et ne minimo quidem intermisso tempore in judicium militare produci (*or* modo militari judicari). Qui quum nullo modo absolvi possent, duo qui principes ejus sceleris fuisse visi sunt condemnati statim e judicio ad supplicium trahuntur. Hanc primam inter milites illius conjurationem factam esse accepimus.

Exercise LXVIII.

Dum haec inter Gallos Hispanosque per legatos aguntur, reliquae (-i) in Europa civitates (reges) [*or* ceteri penes quos in civitatibus reliquis summa imperii fuit] alia aliae (alii) sentiebant. Ut cuique allatum est jam copias suas (*or* exercitum) trans Alpes in Italiam ducturum Carolum, modo quot militum jam comparasset, modo quantum et peditatus et equitatus delectum, supplementi causa, tota Gallia haberet, nulli omnium ingratum fuit tam praepotenti principi in longinquo et vanissimo certamine consumptum iri opes. Nam peritissimo cuique rerum illud certissimum videbatur, sui eum ostentatione et confidentia temere elatum (*or* caecum) ad perniciem praecipitem ferre.

Sed modo ne suos cujusque fines transgressurus ille esset, nemo moleste ferebat quod Ferdinandi ille animum ad suspicandum promptissimum (*or* natura proclivem) irritabat, nec (utrumque) duos reges alterum alterius in ea belli contentione experiri vires, quae, quemcumque exitum habuisset, nimiam utriusque potentiam et dominatum labefactura esse videretur. Eo igitur plerorumque inclinabant animi (*or* sententiae) ut exspectaretur dum fortuna belli paullo certius dijudicata esset, et

ut suis quisque mandaret legatis ne quid prius vel pollicerentur vel minitarentur (*or* denuntiarent) quam cognitum habuissent quid facturi essent Venetorum magistratus, quid respublica, quid denique Pontifex Romanus ipse; utrum facto inter se foedere regno Neapolitano, cujus salus agebatur, subventuri essent an ceterorum omissa cura sibi quisque consulturi.

Et Ferdinandus quidem ipse dum fieri posse putavit ut Carolus posteaquam ex Alpibus descendisset, per (*or* inter) paludes et fluvios Lombardinos implicatus teneretur, et ab Italicis copiis oppressus cum existimationis suae et potentiae jactura offenderet, noluit quidquam facere. Quum vero certior factus esset re illum fere incruenter gesta pontificalem agrum, nullo fere resistente, peragrasse, et repugnante frustra Pontifice et Europaeos populos obtestante ipsam prius Romam ingressum quam vel hastam unam fregisset miles vel tentorium usquam tetendisset, cognovit demum magni sua interesse ne exspectaret dum ille Neapoli occupata totius Italiae dominus exstitisset.

Exercise LXIX.

Hoc tam tristi responso dimissis sociis legati ad senatum vocati sunt: quorum aetatibus dignitatibusque conspectis pro se quisque dicere, vere tandem de pace agi. Insignis inter ceteros fuit senex quidam, pacis semper auctor et bellum suadentibus adversus; unde tanto plus illi auctoritatis fuit belli culpam in paucorum cupiditatem a republica transferenti, et victores monenti ut rebus secundis modeste ac moderate uterentur. Si se et suos audivissent cives, et tempore uti voluissent, daturos fuisse quas nunc peterent pacis conditiones: sed raro simul hominibus bonam fortunam bonamque mentem dari. Populum Romanum eo semper invictum esse, quod in secundis rebus sapere et consulere meminissent. Et hercle mirandum fuisse, si aliter facerent. Ex insolentia, quibus

nova bona fortuna esset, impotentes laetitiae insanire. Populo Romano usitata ac prope jam obsoleta ex victoria gaudia esse, ac plus paene parcendo victis quam vincendo imperium auxisse. Ceterorum miserabilior oratio erat, commemorantium e quantis opibus quo res suae recidissent: nihil eis, qui modo orbem prope terrarum obtinuissent annis, superesse praeter urbis moenia: urbem quoque ipsam ac penates ita habituros esse, ut non in ea quoque, quo nihil ulterius esset, victores saevire vellent. Tum flecti misericordia senatum apparebat. [*Adapted from* LIVY XXX. 42.]

EXERCISE LXX.

Populo tanta indignatione concitato coacti sunt (*or* Populus ita concitabatur ut coacti sint) senatum vocare: et primoribus, qui jam diu publicis consiliis aberant, propalam minabantur cives, nisi venirent in senatum, circa domos eorum ituros se, et in publicum omnes vi extracturos esse. Is timor frequentem senatum magistratibus praebuit. Quum ceteri de legatis mittendis ad imperatores hostium agerent, senator quidam, qui defectionis auctor fuerat, interrogatus sententiam negat eos, qui de legatis et de pace ac deditione loquantur, meminisse, nec quid facturi fuerint, si regem in potestate habuissent, nec quid ipsis patiendum sit. Quid? vos, inquit, eam deditionem fore censetis, qua quondam, ut adversus importunos hostes auxilium impetraremus, nos nostraque omnia regi dedidimus? Jam e memoria excessit, quo tempore, et in qua ejus fortuna defecerimus? jam, quemadmodum in defectione praesidium, quod poterat emitti, per cruciatum et ad contumeliam necarimus? quoties in obsidentes, quam inimice eruperimus, castra oppugnarimus? peregrinum ducem vocaverimus ad opprimendos eos? hoc quod recentissimum est, ad ipsam regiam urbem oppugnandam hinc eum miserimus? Age contra, quae illi infeste in nos fecerint,

repetite: ut ex eo, quid speretis, habeatis. Quum hostis alienigena in limine esset, et cuncta bello arderent, omissis omnibus, rex ambo imperatores et duo justos exercitus ad nos oppugnandos misit. Alterum jam annum circumvallatos inclusosque nos fame macerant, et ipsi nobiscum ultima pericula ac gravissimos labores perpessi, circa vallum ac fossas saepe trucidati, et prope ad extremum castris exuti. Sed omitto haec. [*Adapted from* LIVY xxvi. 13.]

EXERCISE LXXI.

Jam urbem Granadam in deditionem accepturi erant Ferdinandus et Isabella, quum allatum est (*or* F. et I. jam urbem G. in ded. accepturis nuntiatur) Columbum, quod desperaret aut ab iis aut ab Hispanorum quoquam impetraturum ut magna sibi ausuro subvenirent, ad Gallorum regem se conferre decrevisse; scripsisse eum ut ad se ille celeritate qua posset maxima contenderet, fore ut omnia quae propositurus esset diligentissime apud se considerarentur. Itaque ad finem ille laborum ac sollicitudinum jam demum perventurus videbatur, nec quisquam posset Hispanorum id moleste ferre, quod Columbus vir sententiae suae tenacissimus et perpetuae annorum aliquot dilationis taedio confectus alio aliquando se esset conversurus, et regi ultro ad se vocanti fidem habiturus.

2. Sed vel fortunae beneficio vel Deorum immortalium accidit ut is jam ad Galliam profecturus apud Johannem Perezum, veterem amicum et spectatae fidei virum, commoraretur; quocum ille quae scripsisset (*or* ea quae rex scripserat) rex pro amicitia communicavit; addito (*or* adjecitque illud) se nisi toties apud Hispanos offendisset, alterius cujusquam civitatis auxilium numquam fuisse desideraturum. Movit amici animum et (vel) rei indignatio et (vel) quod tanto viro et ipse et respublica carituri esset; nec tamen, ut erat vir sagacissimus, tempori defuit; et quum maximae esset

apud Reginam auctoritatis, persuasit Columbo ne prius Rabedano excederet quam ipse ad castra regia contendisset, Isabellam, quantum in se esset, impulsurus ne occasioni quae numquam postea se esset oblatura per imprudentiam deesset. Et profecto facilis est conjectura, nisi vehementissime instanti cessisset Columbus, omnia quae narraturus sum longe aliter eventura fuisse.

PART III.

Oratorical.

EXERCISE LXXII.

1. Et considerate, judices, non de caede nescio cujus, sed de parricidio causam dici; rationem vero ab accusatore redditam esse nullam, quam ob causam patrem filius occiderit (*or* tantum flagitium hic vir admiserit). Quod in ceteris causis et in his levioribus peccatis quae vereor ne magis crescant (*or* crebra fiant) et paene quotidiana sunt, vel maxime et primum quaeritur, quae causa maleficii fuerit, id ille in hoc judicio quaeri non putat oportere. Sed in tanta criminis immanitate (*or* in re tam atroci tam nefaria), etiamsi multae causae in unum convenisse videntur, permulta sceleris indicia inter se congruere, tamen non temere credi oportet, neque levi conjectura tanta res pendenda, neque incertus testis audiendus.

2. Neque vero in ingenio et moribus res est judicanda. Quum multa antea commissa maleficia, tum vita hominis perditissima, tum singularis audacia ostendatur necesse est; neque audacia solum, sed furor et amentia. Haec quum sint omnia, tamen exstent oportet certissima sceleris vestigia, ubi, quo tempore, qua ratione, per quos maleficium sit admissum. Quae nisi multa et manifesta sunt, profecto res tam scelesta, tam atrox, tam nefaria credi non potest. Et quum harum rerum nulla hodie proferatur, gratulor huic homini quod apud judices prudentissimos agitur, qui intelligunt neminem ne minimum quidem maleficium sine causa admittere.

[*Adapted from* CIC. *Rosc. Am.* xxii.]

Exercise LXXIII.

Jam vero acerbius in ceteros (*or* aliquem) invehi et vehementius insectari in privata hominum consuetudine ac familiaritate ne tolerari quidem possunt; in hoc ordine (*or* intra hanc curiam) mihi quidem satis inhonesta esse videntur: sed ab iis qui in republica versari velint et possunt et debent tolerari. Ego igitur, Patres Conscripti, omissis quae contra me dixit vir amplissimus, de ea re dicam quae hodie agitur, quam vix ille quidem totam praetermisit. Neque enim potest ita cum sociis agi ut id potissimum caveas, ne plus umquam reddas quam acceperis: immo nihil magis ad omnem liberarum civitatum tollendam societatem valet (*or* tollendae est omni civ. lib. societati). Permulta sunt in republica, et ea quidem nec ficta nec levia, sed gravissima, quae nequaquam ad calculos vocare possis, ut pura sit accepti et impensi ratio: multa etiam quae ii, qui vel cauponari, ut aiunt, rempublicam volunt, vel omnia ad utilitatem referunt, ne concipere quidem possint.

Exercise LXXIV.

Quum vero homo omnium infelicissimus fortunam suam ut in tanta calamitate graviter ferret et, tamquam si rebus suis nox quaedam sempiterna offusa esset, quid faceret tacitus desperaret, subito in illo tristissimo tempore lux quaedam oblata esse videbatur. Etenim his duobus mensibus testis quidam quem in illo judicio adesse plurimum hujus intererat, et quem in Europae remotissima parte subito esse oppressum nuntiatum erat, tutus incolumisque quasi ab inferis excitatus esset domum rediit. Qui ut hujus viri semper fuit amantissimus ita omnia ut in tantis amici periculis (*or* infortuniis) cupit facere, et prope modum se facturum sperat ut id in judicio testimonium

dicat ut falsae infamiae finis atque exitus aliquando reperiatur. Et ne quis vestrum confidentius haec me et audacius quam verius dicere arbitretur, vel (*or* neve) ultra quam satis sit unius testis testimonio niti, spondeo, judices, in meque recipio, et ita fidem mihi habeant cives ut vera loquar, brevi me effecturum esse ut videatis non aliter me quam verum esse cognoverim dixisse, et omnia vobis potius facienda esse quam innocentissimum hominem tanta invidia tamque immerita urgeri sinatis.

Exercise LXXV.

1. At enim alia hodie jampridem loquor, alia vix sex vel quinque antehac mensibus suadebam. Quasi vero id non ita fieri posset, ut ego in tanta rerum temporumque discrepantia mecum tamen consentirem! At vero ego si interea non modo non republica abessem—Achilli, credo, si non virtutem, stomachum certe imitatus—sed consilio, oratione, sententia eos qui nunc reipublicae praesunt adjuvassem, non tam fracto tam abjecto animo (ut ejus verbis utar qui proximus ante me sententiam dixit) in senatum venissem, sed ea essem [1] apud hunc ordinem auctoritate qua antea fui: quam hodie aut minimam esse aut plane nullam dictitat. Denique si eidem haec et similia exprobranti fidem habueritis, facile credetis me tamquam a suscepta causa turpissime descisse, et tamquam prodito exercitu meo me meaque omnia in hostium castra transtulisse.

2. Quae si ille vel aliquantula ex parte vera diceret, jure me tantae puderet inconstantiae et levitatis, ne perfidiae dicam, quantam in nullo umquam senatore vel apud nos vel apud patres nostros fuisse accepimus. Quod si ego post tot annorum sollicitudines ac labores urgente fato quodam cum

[1] *Essem* of a state continuing; *venissem* of a single past act. See Introd. **134, 135.**

tanta ignominia offensurus essem, melius profecto fuit et existimationi meae et reipublicae saluti consuluisse, et jampridem me a republica in perpetuum amovisse. Arbitror enim rei ipsius publicae, Patres Conscripti, plurimum interesse, quales sint ii qui in republica versentur.

3. Nec levis fuit auctor ille sed unus omnium acutissimus, qui quales essent in civitate principes tales scripsit reliquos esse cives, nec illi si improbi et corrupti essent, hos procul a pernicie abesse. Quamobrem si per vos licebit, meae ego existimationis, quantulacumque ea est, rationem aliquam habebo, quae, si auctori tanto credendum est, ad rempublicam quodammodo pertinet. Quod si quid de me ipso et de eo quem in republica sum secutus cursu compertum habeo, non modo invidorum et malevolorum spem ita fefellero ut inconstantiae crimen facile diluam, sed illud evincam, ceteros populari aurae obsecutos temporibus inservisse, me tamen in pristinis sententiis et permansisse et permanere, et in omni dissensione et contentione civili eum tenuisse cursum quem primum in republica versatus mihi ipse destinabam.

Exercise LXXVI.

Sin istius amicitia te impediet, si hoc quod ego abs te postulo minus ad officium tuum pertinere arbitraberis, succedam ego vicarius tuo muneri; suscipiam partes quas alienas esse arbitrabar. Nae ista praeclara nobilitas desinat jam demum queri hominibus novis industriis summos honores apud nos libenter mandari et semper mandatos esse. Non est querendum in ea civitate, quae propter virtutem tot gentibus imperat, virtutem plurimum posse. Sint apud nobiles majorum imagines; ornentur ipsi mortuorum virtute, alienis titulis splendescant et decorentur: tales illi viri fuerunt, ita de republica meriti sunt, ut non uni familiae, verum universae civitati cari com-

mendatique esse debeant. Et vero est aliqua mea pars virilis quod ejus ego civitatis sum quam ejusmodi homines claram potentem illustrem effecere; praecipue quod in his artibus pro mea parte versor, quarum illi principes fuere, aequitate, industria, temperantia, defensione miserorum, improborum odio: quae cognatio studiorum atque artium non minus mihi videtur esse conjuncta quam illa qua vos delectamini, generis atque nominis.

Exercise LXXVII.

Verum ut ea quae juvenis in hoc ordine egisti missa faciam, octo sunt anni quum id agis ut honestissimum quemque ex iis qui hunc reipublicae statum mutari nolunt in invidiam, in odium, in suspicionem voces; eas in hoc ordine sententias dixisti, ea apud populum contionatus es, ut tantam inveterati erroris tantam falsae infamiae vim conflaveris, ut veri judicium plerisque civium nostrorum paene ademptum sit et sublatum, et qui reipublicae optime consultum velint, nihil jam possint, nihil audeant. Hunccine hominem, patres conscripti, qui talem se et nobis et reipublicae praebuerit, ad gubernaculum jam sedere, et iis qui mutare et perturbare omnia student, fidem et animos atque vires adstruere!

Exercise LXXVIII.

Num quis (*or* Ecquis, *or* Num quisquam) umquam tanta cogitavit scelera, quanta iste non cogitavit modo verum etiam et suscepit et confecit (*or* perpetravit, *or* confecta habuit)? Num amicis pepercit? Num iis qui eum permulti beneficiis cumulaverunt gratiam habuit? Ecquis eum meminit aut diligere umquam bonos homines aut improbos odisse? Nonne omnes scimus et puerum eum adultae aetatis pessima flagitia imitatum fuisse, et importunissimarum beluarum saevitiam et immani-

tatem senem superasse? Hujusmodi portenti simile quidquam ubi et quando reperire possumus? Eccui umquam homini in miseriis opitulatus est? Quod denique flagitium umquam detractavit? An frater ejus iram vestram pro eo deprecabitur? (*or* deprecaturus est). Iram dico? non iram iste vestram, sed aequitatem, sed fidem, sed religionem timet ac reformidat.

Exercise LXXIX.

(*Columbus apud Ferdinandum et Isabellam loquitur.*)

Ac multi quidem sunt anni quum et apud vos et apud alios vel potentissimorum hominum voluntates vel Hispanorum studia ad ea quae suscepturus sum (*or* suscipere in animo est), conciliare conor. Vos igitur pro benignitate vestra veniam, quaeso, date ea quae saepissime antea disserui (*or* suasi) rursus commemoraturo. Paene puer illud mihi nescio quo pacto persuasum habueram, esse aliquas ultra oceanum terras, quas aut ego aut alter nescio quis me felicior visurus esset, nec divitiis tantum inauditis abundare illas regiones inventurus, sed eo ad infinitam fere hominum multitudinem artes nostras, nostram humanitatem, importaturus. Quum haec dico religionem (etiam) dico nostrum, quam utrumque vestrum quos praesentes alloquor, et artibus et humanitate antiquiorem (*or* cariorem) habere certo scio.

Et fuit tempus quum ad occidentem solem quotidie conversus incognitae cujusdam Indiae oras radiis ejus praecipitantis inauratas dispicere mihi viderer. Idem ubi illuxerat, alium diem perditum iri flebam. Nec mihi operae est quibus fretus indiciis verissima esse illa crederem credamque, hodierno die repetere. Aliud est sibi certissimis, ut videntur, signis persuadere, aliud ceteris fidem facere. Sed ad vos ego tum primum me contuli, cum belli Maurici gravissimo tempore implicati ad alias curas convertere animos nec voluistis neque potuistis. Occupatos

longo et periculoso bello animos, exhaustas opes excusavistis, et nobilium, quorum studia excitare me posse sperabam, opulentissimus quisque inopiam suam maxime et aes alienum adhortanti opponebat, et ut quisque erat maxime religioni deditus, ita me contra religionem et sentire et dicere vehementissime affirmabat.

Exercise LXXX.

Ego si iterum, Patres Conscripti—id quod et nostris temporibus scimus et nonnullis aliis revera accidisse accepimus—rempublicam (*or* summam rerum) nostram penes turpissimos civium et perditissimos esse conspiciam, hoc in me suscipere ausim, non modo commodis me meis, quae apud me minimum semper valent, sed ne vitae quidem salutisque cura, qua tamen fortissimus quisque interdum movetur, adductum ad eorum me causam adjuncturum esse. Quum autem eum in republica principem viderem, qui hanc potentiam hanc gloriam praestantissimis in civitatem nostram meritis et factis praeclarissimis consecutus esset, cujus ego dignitatis ab adolescentia fautor exstitissem, qui ipse mihi apud hunc ordinem et sententia et auctoritate subvenissset, non putabam inconstantiae crimen mihi pertimescendum fore, si quibusdam in sententiis paullum me immutassem, meamque quantulacumque esset voluntatem ad summi viri et optime de me et de republica meriti dignitatem adhibuissem.[1]

[*From* Cicero, *Ad. Fam.* I. ix. 11.]

Exercise LXXXI.

Fuit quidem ille, qui heri excessit e vita, vir summus et illustris; ejusmodi homines vix singuli singulis aetatibus nascuntur. Neque his temporibus quisquam eum vel litterarum

[1] Virtual *oratio obliqua* after *putabam*; corresponding (in *oratio recta*) to *non erit pertimescendum, si . . . immutavero . . . adjunxero.*

studio vel doctrina vel prudentia vel ingenio superabat[1]; nemo fortasse moribus (virtute), eloquentia certe nemo. Hujus denique vita quum fortuna tum existimatione tantum non perfecta esse videtur. Sed cavendum est ne hunc iis anteponas quos patres nostri summos viros aestimabant (*or* summos ducebant): hujus enim fere laudabuntur dicta, at facta illorum. Utra vero harum laudum alteri sit praeferenda viderint posteri; ego sententiam dicere nolo.

Exercise LXXXII.

At enim mutare sententiam turpe est, exorari scelus, misereri flagitium. Longe aliud illi, quibus ego magistris bene vivendi rationem ac leges ediscebam: nostri, inquam, illi apud sapientem aiunt valere aliquando gratiam; viri boni esse misereri; distincta esse genera delictorum et dispares poenas; esse apud hominem fortem ac constantem ignoscendi locum; ipsum philosophum saepe aliquid opinari quod nesciat, irasci nonnumquam, exorari eundem et placari, quod dixerit interdum, si rectius sit, mutare, de sententia aliquando decedere; omnes denique virtutes mediocritate quadam esse moderatas.

[*Adapted from* Cic. *Mur.* xxx.]

Exercise LXXXIII.

Jam vero ingenium meum quam sit exiguum sentio: sed quoad longissime potest mens mea praeteriti temporis spatium respicere et pueritiae ultimam memoriam recordari, prae me fero optimarum artium studiis ac disciplinae penitus vehementiusque me deditum fuisse, et ut paullo liberius dicam, earum rerum quae ad humanitatem et virtutem pertinerent (*or* humanitati et virtuti colendae essent) praetermisisse nullam. Quod si puer reipublicae diu pacatae velut auream quandam

[1] *Or* quippe unus erat omnium nescio an (ne dicam) virtute, profecto eloquentia praestantissimus.

aetatem nactus sum, neque in has tempestates rerum et tumultus incidi, illud certe ab omnibus concedetur, qui non solum litteris et philosophiae studeant, verum etiam si qui forte simulent—id quod etiam a malevolis invidisque tribuendum est—omne illud otium studiumque liberalibus artibus me totum contulisse.

Exercise LXXXIV.

Nullis ejus temporibus, nulli utilitatibus ejus et commodis consulendi occasione umquam defui; potentiae ejus atque opibus numquam invidi, superbiam vix cuiquam ferendam et insolentiam vix libero dignam, quas aut castigare debui aut vindicare, condonavi adolescentulo et regi; voluntatibus ejus perraro repugnavi, cupiditatibus vix umquam obfui, vitiis plus justo indulsi; ab inclinata jam fortuna desciscere et ad eum cui omnia largiebatur fortuna me adjungere nolui. Tamen ne in periculosissimo quidem tempore suadere ei potui ut resipisceret parumper et vel punctum temporis sibi moderaretur, et hunc unum fructum diuturni obsequii percepi, ut civibus in invidiam, ipsi in suspicionem venirem. Tantum enim apud eum potuit voluptatis vel turpissimae dulcedo, ut si salus, si fama, si cetera omnia ex altera parte ponerentur, vel perexigua ac minuta viderentur vel ne apparerent quidem.

Exercise LXXXV.

1. Ego qui juvenis summo studio in republica versatus sum, et tempora mutari et cum temporibus mutari homines vidi. Me etiam ipsum mutatum esse sentio, qui perraro et invitus ad rempublicam accedo. Spero tamen neque ingenium meum neque auctoritatem neque aetatem pro nihilo apud eos haberi qui me permulti (et) quotidie consulunt; apud quos propter usum et consuetudinem diuturnum scio me in extrema senectute tamen aliquantum posse.

2. Qui privatus iis quos tibi respublica praefecerat invitus paruisti, qui magistratus cum perditissimo quoque civium conjunctus patriae bellum intulisti, nunc (*or* hodie) sana te esse mente simulas, omnia a te impie et nefarie facta repudiare. Mecum, credo, quem jampridem odisti in gratiam redire vis, amicis meis quos permultos saepissime violasti placere, reipublicae cui quantum in te fuit semper nocuisti inservire (*or* bene de republica mereri).

3. Ex iis qui tristissimi illius diei primo perpauci diluculo propinquum tuum virum praeclarissimum ad indignum supplicium rapi videbant unus potuit cohibere lacrimas ipsius filius unicus et carissimus. Ceteri qui adstabant flebant; permoti milites qui moriturum custodiebant; unus ille, qua erat animi firmitudine, omnium luctu immotus stabat: illud tantum tacitus juravit se ab iniquis judicibus et impiis magistratibus justissimas aliquando poenas sumpturum.

4. Qui levitatem tuam atque inconstantiam norunt, eos vix puto admiraturos esse te et teipsum et tua omnia ad alteras partes, id quod te fecisse audio, transtulisse. Quam ego rem, quantum in me erit, aequo animo me laturum spero. Novi isti amici gaudebunt, credo, virum tam praeclarum tam utilem sibi adjunctum iri.

Exercise LXXXVI.

1. Vos autem, Patres Conscripti, monere ausim, et utinam id quod intelligo, possim eloquentius praedicare, tempus hoc divinitus (*or* Deorum Immortalium beneficio) vobis datum esse ut turpitudine et infamia, ut criminibus et suspicione hunc totum ordinem liberetis. Etenim pudet dicere (quantum a Populo Romano contemnamur) quam gravi quamque diuturna apud hunc populum invidia jampridem flagremus. Neque enim idcirco turbulentos homines ac furiosos laudant adhuc

et sequuntur et suffragiis suis augent cives nostri, quod rebus novis student, veteres oderunt, sed quod hujus imperii dignitatem per nos minui credunt, dum tantam provinciam populari sinimus et vexari. Nunc autem homines tamquam in speculis sunt; observant quemadmodum se unusquisque nostrum gerat in retinenda religione, in conservandis legibus.

2. Hoc enim est judicium in quo vos de reo, populus Romanus de vobis, judicabit. Constat inter omnes numquam post hominum memoriam (*or* post hanc urbem conditam), numquam certe post haec vobis commissa judicia, nullum tanto splendore tanta dignitate consilium convenisse. Hic si quid erit offensum (*or* Quod si hodie tanto muneri defeceritis), alium omnino ordinem ad res judicandas quaerendum esse arbitrabuntur. Quapropter cogitate, per Deos Immortales, qui sitis et quo loco; quid populo Romano, quid majoribus vestris reddere debeatis. Et utinam ne id sero faciatis!

[*Cp.* CIC. *Verr.* Act. I. 43 *seq.*]

EXERCISE LXXXVII.

Si quis vestrum, id quod facile potest fieri, cur vos ad me hodie convocaverim quaerit, neminem credo, quum aliquid eorum quae de re quadam perdifficili dicturus sum audierit, dubitaturum fore utrum prudenter an secus fecerim. Omnes enim scitis in Insula Cuba esse quendam, qui nescio quam ob causam nihil est praetermissurus ut hoc nostrum hoc inceptum irritum faciat. Quivis igitur de vobis intelligere potest, id quod nemo negare potest (*or* nec quisquam id negaverit), providendum esse a nobis ne inimicorum quisquam seu meorum seu vestrorum, vel consilio nostro nobis invitis se interponat vel inceptis, sive fraude uti (*or* id facere) velit sive vi.

Nam quanto quis in periculo majore est, eo promptius ac fortius se gerere debet. Itaque decrevi, et nescio an nemo vestrum id est culpaturus, tantam auri ceterarumque rerum quae pretiosae habentur domum ad Imperatorem et magistratus mittere, ut nemo possit dicere nos steriles ad solitudines aliquas pervenisse ubi nihil sit quod hominibus usui esse possit, aut viris fortibus suadere ut vel tempestatum vim vel fortunae inconstantiam perpetiantur.

Exercise LXXXVIII.

1. Fide vestra prudentiaque fretus hoc onus quoad potero perferam, et huic homini, qui hodie in tanto discrimine versatur quanto nemo fere umquam antea, officium praestitero. Vos, quaeso, qui rem cognituri estis attente et bona cum venia quae dicam audite. Quum vero omnia quae dicturus sum dixero, tum ex altera parte respondeatur. Quod donec fecero, taceat adversarius meus: tum demum vos judices videritis utrius nostrum causa sit melior; utrum plus apud vos possint divitiae, gratia, potentia, audacia, an innocentissimae vitae certissima indicia.

2. An praebituri vos, inquit, telis hostium estis, indefensi, inulti? Velim scire quid velint ista arma, cur huc bellum ultro illaturi venerimus. Satius erat domi manere et, id quod facere potuimus, pacem poscere. An deum aliquem vobis subventurum, domum vos hinc rapturum putatis? Qui domos, parentes, conjuges, liberos visuri estis, qua me praegressum videritis sequemini. Recte fecerit qui hostem dejecerit; qui strepitum pugnae et pericula reformidaverit in pari erit periculo (*or* nihilo erit tutior). Fortissimo cuique et ignavissimo in suo cuique tempore moriendum est. Pedemne referatis an proelium inferatis nihil refert. Quod ad vitam cujusque mortemque attinet, fiet quod futurum est. Qui vero victoria se digniorem praestiterit is vicerit.

Exercise LXXXIX.

Potuit hic impune negare se hominem cui tu eum tantam vim intulisse arguis vel vidisse umquam vel nomine tantum vel facie notum habere. Quis enim redargueret, aut quo tu hodie testimonio fretus possis convincere eum quae falsa essent dixisse? Si fallor, istos audiamus quos tu testes oculatos heri excitare debuisti. Vellem hoc fecisses; quis enim in hoc judicium prodire auderet, et coram his judicibus id scelus committere quod in iis necesse sit inhaereat qui, quantum in se est, innocentem hominem circumveniunt opprimuntque? Sed longum est singula persequi quae a te ipso conficta huic qui causam dicit objecisti. Accusatori qui innocentem hominem imprudens in judicium adducit ignosci potest. Quod vero supplicium in eum constituamus qui judiciis publicis innocentissimum et sanctissimum adolescentem qualis hic est, cujus ego hodie patronus exstiti, de medio tollere conatur?

Exercise XC.

Fateor me non eadem quae tu sentire; tu istis fidem habes qui docent neminem paullo prudentiorem huic reipublicae contentioni sese immixturum esse (*or* interesse velle), tantum se facturos quantum tempus necessitasque postulet (*or* postulaverit); meliora exspectaturos, haec tacitos perlaturos esse, bonorum civium qui pauci supersint amicitias expetituros.

Equidem auctoritatem meam spero tantam apud te fore quanta semper fuit. Scio haec mala tot esse quot numquam apud patres nostros; talia esse qualia nec ego nec tu umquam experti sumus; istos vero vehementer errare arbitror (*or* puto), qui docent has reipublicae tempestates tantas esse quantae numquam antea fuerint; eum posse bonum civem esse qui tantum contendat, tantum pugnet quantum contendere ac pugnare cogatur.

Exercise XCI.

Eo res pervenit ut jam neque tegi possit neque dissimulari. Eloquatur igitur quisque quod cuique videtur, caveamus ne hodie communis salutis rationem universi habeamus, cras singuli totos nos Cortesio permittamus. An unus quisquam inter nos oppugnationem redintegrare vult? At dixerit fortasse quispiam se utrumque improbare, et monebit nos ut medium quendam sequamur cursum, ut neque ducem deseramus neque fugae similem profectionem capiamus, nam turpissimum quodque saepe esse periculosissimum.

Equidem aliter atque plerique vestrum sentire nolim. Et si hoc majori parti placet, primam quamque occasionem capiamus; ubi primum illuxerit Imperatorem cum suis quisque armis et ad profectionem (*or* proficiscendum) parati adeamus; faciamus modo ut bene ille intelligat hoc nos decrevisse, aut cum eo aut sine eo confestim proficisci. Neque enim operae est eum commonefacere quemadmodum commeatu, munimentis, telis, sociis, fere dixerim omnibus careamus, quae in tali tempore versatis usui sunt. Ut quisque vestrum belli est peritissimus, ita optime sentit quam egeni simus, quam inopes. Illud inter omnes constare credo, melius esse universos fortunam experiri quam continuis cruentisque pugnis singulos interire.

Exercise XCII.

Regina nos Senatusque Britannicus ad te misit ob merita erga exercitus magistratusque nostros quanta nullius umquam ante Indorum principis exstitere gratias actum (*or* acturos); simul gratulatum primum quod ita undecim nos annos populo tuo praefuisti ut et tuis sis carissimus et apud finitimas gentes in honore; deinde quod eum bello afflixisti hostem, qui ita infesto erat in nos utrosque animo ut illo incolumi nec tua res nec nostra stare posset. Et mihi quidem difficile dictu est quanto cum gaudio te illa tempestate perfunctum esse ac-

ceperim, et eum qui tibi perniciem intentaret suas potius fortunas perditum isse. Cujus quidem casum spero ceteris documento fore ut sua potius tueantur ac defendant quam aliena oppugnatum eant; simul illud meminerint, veram gloriam recte faciendo expetendam esse; boni principis esse suis consulere, non alienam famam ac fortunas honeste partas ultro ereptum ire.

Exercise XCIII.

1. Haec agendi ratio utrum legitima fuerit necne, viderint alii: mihi specie tantum contra rempublicam, re vera et e republica et optimo exemplo haec omnia facta esse videntur; neque enim, sicut apud patres nostros, in secreto haec atque intra parietes fremebant pauci et improbi homines iique ignobiles, sed jam in justae seditionis modum res excesserat, et majus graviusque erat malum quam ut per minores magistratus et forensi disputatione sedaretur. Itaque pro atrocitate rei agendum erat, et ita in impios saeviendum ut et in praesens respiraret aliquando civitas, et in posterum caveretur ne quid ab ejusmodi inceptis metuerent boni cives.

Exercise XCIV.

1. Utrum pacem an bellum velitis statim vobis idque multo serius quam decuit est statuendum; sed sive hoc sive illud vultis nihil vobis integrum est nisi aut honesta pax aut bellum necessarium; et pax quidem si quid usquam aliud ex primis est optabile; sed ita, si justa est, si honesta, si cum reipublicae salute ac dignitate conjungi potest; bellum vero miserum, odiosum, detestabile; sed ita gerendum (*or* suscipiendum) est si hostem propulsamus, si nihil aliud agimus nisi ut liberi simus, ne cui hominum serviamus, ut rempublicam quam a majoribus accepimus salvam, integram, incolumem, illibatam posteris seu potius liberis nostris tradamus.

2. Quae cum ita sint, tamen narrant vos adhuc etiam dubitare quid faciatis, et nescio an hodie inter vos quaeratis cur vos omnem vel belli vel famis acerbitatem potius perferre velim quam ab hac defectione (sic enim justissimum omnium bellum hostes appellant) desistere, et ad pristinam scilicet pacem ac tranquillitatem reverti. Equidem quid vere sentio loquar, nec scire me dissimulo vel quot vel quantis vel qualibus periculis ei sit obviam eundum, qui omnia prae reipublicae libertate ac salute sordere putet. Ego vero, sive victuri simus, seu frustra hunc communem belli Martem temptaturi (qui res quanto posita sit in discrimine bene cognitum habeo), nullus tamen dubito utrum patriam in libertatem cum mei capitis periculo vindicare, an victoris arbitrio, si per illum mihi licebit, vitam ad senectutem cum servitute et ignominia trahere melius sit honestiusque. Vos cives mei videritis utrum in acie perire an servi vivere malitis.

Exercise XCV.

Quaeris a nobis cur tantopere hoc homine delectemur. Quia suppeditat nobis unde et animus ex hoc forensi strepitu reficiatur, et aures convicio defessae conquiescant. An tu existimas aut habere nos posse quod quotidie dicamus in tanta varietate rerum, nisi animos nostros doctrina excolamus; aut posse animos tantam ferre contentionem, nisi hac ipsa doctrina relaxentur? Ego vero fateor me quoque his studiis esse deditum. Ceteros quidem pudeat si qui ita se litteris abdiderunt, ut nihil inde possint neque ad communem afferre fructum, neque in aspectum hominum lucemque proferre. Me autem quid pudeat, qui tot annos ita vivo, judices, ut ab nullius umquam auxilio me aut commodum aut otium meum abstraxerit, aut voluptas avocarit, aut denique vel somnus retardaverit.

Exercise XCVI.

Haec ita se habere ut narravi reperietis, judices, et sicut me adhuc benigne et attente ut in re perobscura ac difficili audistis, ita spero me cetera quae jam sum dicturus (*or* mihi sunt exponenda) facile vobis et dilucide explicaturum fore. Id enim egi et agam, judices, quantum in me erit, ut non modo quae causa postulat dicam, sed perinde ut hic, cujus causam multo serius quam oportuit diffisus mihi (*or* invitus) suscepi, et meritus est et meretur. Scio me rem satis arduam suscepisse: quum enim opinione civium et inveteratae jam invidiae obviam ire difficile est, ita in hoc homine contra atque sentiunt; si non prudentissimus quisque, at imperitum certe vulgus et ii qui imperitorum auctoritatem sequuntur, causam innocentissimi hominis dicere multo magis et molestum est et difficile. Et tanta profecto sive jure sive injuria bis sunt in eo facta praejudicia, ut ea denique flagraret invidia, ut nisi haec de integro haberetur quaestio, et ego et alii multi, ut fortasse sero, sic sine ulla dubitatione certissimis freti indiciis causae ejus magnopere confideremus, numquam hic in ullum paullo honestiorum hominum conventum se conferre ausus fuerit.

Exercise XCVII.

Non de ea virtute sum scripturus quae fingi soleat aut quaeri (*or* Non mihi in animo est fictam aliquam commenticiamque virtutem exhibere), qualis eorum est qui vel in scena vel in fabulis spectari legique solent, sed de ea quae in hominem cadat, quam nostrum quivis consequi possit: neque enim istiusmodi erat is quem vobis hodie proponendum habeo, sed unus de ejusmodi hominibus qui ipsi ante oculos conspiciantur (*or* coram praesentibus adsint), quos noverit vel vita nostris temporibus communis vel hominum memoria: ex quo numero sumenda sunt nobis exempla, si quid de universis hominibus praecipiendum est.

PART IV.

Miscellaneous.

Exercise XCVIII.

1. Scipio autem, qua erat indole, quem informabant saeculum et quae tum erat respublica, uno se tenore expedire aut constare sibi nullo modo potuit (*or* Sc. autem, ea indole praeditus, in ea inciderat reipublicae tempora, ut vix unum vitae tenorem servare, vix totus sibi constare potuerit). Sane ducentis post annis dictatori Caesari satisfecit Epicuri disciplina, cui deerat impetus ardorque animi nisi qui ne in morum quidem flagitiis a praepotenti mentis vi avidoque periculorum ingenio poterat sejungi. At in Scipione nihil Caesaris simile. Major illi animus, quam ut res quotidianas spectaret; regium aliquid, ut ita dicam, et sui proprium spirabat: taedebat tantum virum pari jure cum iis vivere, quibus ad imperandum et quasi divinitus consulendum se natura idoneum sentiret. Itaque Liternum se recepit ut respiraret ibi aliquando et repuerasceret, quum id quod natura voluisset ut regem praeclare ageret, denegasset fortuna.

2. Hactenus hominem ab aequalibus alienum habemus, quem admirantes omnes et verentes non amabant. Neque tamen saeculum exuere potuit: etenim cognatum animum nescio quomodo devinciebant quum virtus illa et publica et privata quae tum quoque Romae supererat, tum sacra majorum ab optimo quoque in observantia habita. Haec ipsa fovebant

illam animi amplitudinem atque remotorum a nostro sensu numinum religionem, quae, labefactata per bis centum annos pietate, Caesaris jam temporibus vix poterat constare. Quid tamen arbitramur ab iis mente laborari qui pollentes ingenio ita deos esse credunt ut in commenticiis illis acquiescendum sit? [S. H. B.]

Exercise XCIX.

Sed nescio quo pacto in praecipiendi rationem delapsa est oratio mea, quum id mihi propositum initio non fuisset. Quid enim ei praecipiam, quem ego in hoc praesertim genere intelligam prudentia non esse inferiorem quam me ipsum, usu vero etiam superiorem. Sed tamen si ad ea quae facis auctoritas accedat mea, tibi ipsa illa putō fore jucundiora.

Ne longus sim, constantia adhibenda est et gravitas quae non gratiae sōlum verum etiam suspicioni resistat levissimae. Adjungenda etiam est facilitas in audiendo: ipsa enim justitia acerbitatis potest non nihil prae se ferre, nisi multis humanitatis condimentis lenita fuerit ac mitigata.

Illud etiam tecum velim quotidie cogites, ita tibi creditum esse imperium ut aliquando reddas, et ab iis legibus datum ad quas sit revertendum, Deo denique ejus reddendam esse rationem. Et mihi quidem videntur huc omnia esse referenda ab iis qui praesunt aliis, ut ii qui sint in eorum imperio sint quam beatissimi, id quōd tibi et esse antiquissimum et fuisse et scio et gaudeo. Est enim omnium qui ceteris praefecti sunt, sive domi civibus seu sociis in provincia qualibet, eorum quibus praesint commodis utilitatibusque servire.

Exercise C.

Jam ad hanc terrestrem sedem redeamus, et in re minore ac magis oculis subjecta virtutem experiamur, quantum ad hunc finem valeat. Fac enim populum esse societatemque hominum, qui per multa deinceps saecula in omnibus sint

virtutibus: adde, si vis, loci opportunitatem unde orbem terrarum regere possint. Tali in civitate discordiae ac partium studiis (*or* factionibus) locus erit nullus: quippe peritissimis in hoc genere viris reipublicae procurationem ceterorum continuo deferet voluntas, neque in honoribus partiendis prava erit inter hos aemulatio, at ita cuique divisa provincia, prout fert natura atque ingenii vis. Ceteri parum excellentes excellentiorum tutela et consilio freti et incolumes vivent et sibi ipsi gratulabuntur. [S. H. B.]

Exercise CI.

Astutiae quidem, doli, fraus, et ejusmodi vitia neque legibus placent nec philosophis: sed aliter leges, aliter philosophi tollunt astutias. Leges enim in iis tantum versantur, quae tamquam manu teneri et comprehendi possint; philosophi in omnibus, quae ratione mentis et intelligentia. Ratio autem hoc postulat, ne quid insidioso animo, ne quid simulate, ne quid fallaciter faciamus. Quod quamquam video propter hanc nostram morum depravationem vix turpe haberi neque aut lege aut jure civili notari, tamen naturae lege sancitum est. Quotus vero quisque reperietur qui, impunitate et ignorantia omnium proposita, ab injuria possint abstinere. At enim aliquando pugnare inter se videntur quod honestum est et quod utile (*or* Interdum autem aliud utile esse, aliud honestum videri solet). Videtur quidem, sed falso: nam eadem utilitatis quae honestatis est regula. Itaque vir justus ille, quem sentimus optimum esse ac perfectissimum, omnibus ut aiunt numeris absolutum hominem, non audebit ea sejungere, quae non natura solum sed Deus ipse conjunxerunt. Immo non modo facere, sed ne cogitare quidem audebit quod non audeat praedicere. Sed omitto cetera (*or* Sed haec hactenus).

[*Adapted from* Cic. *Off.* iii. 17, 69.]

Exercise CII.

Paene puer ad Stoicos se contulit eorumque praecepta ac disciplinam summo studio est amplexus, nec umquam animum adducere potuit ut deos esse negaret. Epicureos vero et qui mundum et cetera omnia corpusculorum quadam concursione fortuita nata esse credebant, semper vel irrisioni habuit vel contemptui. Ipsum quidem, ut ceteros philosophiae avidos, cognitio ipsa rerum consideratioque delectabat, et ab omni vel rerum gerundarum vel reipublicae attingendae cura abhorrebat. Idem quum id semper ageret ut non modo naturae cognitionem sed etiam et antiquitatis et recentiorum temporum memoriam (*or* historiam omnem) ad philosophiae rationes revocaret, haud scio an, qui nimia disserendi subtilitate ea quae ad usum vitamque pertinent ad physicorum praecepta referret, in eorum delapsus sit errorem, qui etiam in rebus ab ejusmodi arte alienissimis, omnia quasi necessaria quadam mathematicorum ratione concludi volunt.

Exercise CIII.

Equidem ex omnibus rebus quas mihi aut natura aut fortuna dedit, nihil habeo quod cum ejus amicitia comparare possim. In hac mihi de republica consensus, in hac rerum privatarum consilium, in eadem requies plena oblectationis fuit. Numquam eum ne minima quidem re offendi, quod quidem senserim[1]; nihil audivi ex eo ipse quod nollem; una domus erat, idem victus isque communis; neque solum militia, sed etiam peregrinationes rusticationesque communes. Nam quid ego de studiis dicam cognoscendi semper aliquid atque discendi, in quibus remoti ab oculis populi omne otiosum tempus contrivimus? Quarum rerum recordatio et memoria si una cum illo occidisset, desiderium conjunctissimi atque amantissimi viri ferre nullo modo possim.

[Cic. *de Amic.* xxvii. 103.]

[1] Cp. *quod sciam, quod fiat,* etc., and similar restrictive use of subjunctive with *qui modo, qui quidem* (Roby, sect. 1692).

Exercise CIV.

In hoc viro tanta vis animi ingeniique fuit, ut quocumque loco natus esset, fortunam sibi ipse facturus fuisse videretur. Nulla ars, neque privatae neque publicae rei gerendae, ei defuit. Urbanas rusticasque res pariter callebat. Ad summos honores alios scientia juris, alios eloquentia, alios gloria militaris provexit: huic versatile ingenium sic pariter ad omnia fuit, ut natum ad id unum diceres, quodcumque ageret. In bello manu fortissimus, multisque insignibus clarus pugnis: idem postquam ad magnos honores pervenit, summus imperator; idem in pace, si jus consuleres, peritissimus; si causa oranda esset, eloquentissimus. Nec is tantum est, cujus lingua vivo ipso viguerit, monumentum eloquentiae nullum exstet: vivit immo vigetque eloquentia ejus, sacrata scriptis omnis generis. [Livy xxxix. 40, *Character of M. Porcius Cato.*]

Exercise CV.

De carminibus quidem Euripideis inepta hujus jocatio, de moribus inurbana. Neque enim Socrates Euripide sapientior erat, nec mollior Sappho. Jam ea certe mollities est quae ingenium altius evehat, ea quoque quae hominem ipsum corrumpat. Et haec quidem, ut omnia impura, facile cum aliis communicatur: illam autem vix facile intellexeris, quippe quae robustis tantum animis contingat, nec nisi a probis aestimetur. Equidem illud turpissimum duco, si quis res optimas per ludibrium exprobraverit: ut enim desideranda ne desiderentur efficias, nonne hoc injuriosissimum est et furialis cujusdam saevitiae (*or* et furiarum more saevientis)? Quem enim ipse venerandum et laude dignum conscias, si hunc contemnendum proposueris, flagitium fit eo detestabilius, quod non nisi violata animi conscientia, reclamante (ut ita dicam) justitia, virtute repugnante, admittitur.

[T. L. P.]

EXERCISE CVI.

1. Hujus principis perlegenda vita et ipse nescio quo pacto vehementissime delector, et omni ille a posteris laude mihi ornandus videtur, non modo quod (*or* neque enim solum) in tantis rebus gestis tanta felicitate militarem gloriam clementiae laude cumulavit, et ipse ab omni crudelitate alienissimus ab omni ultionis (animadversionis) saevitia suos, quoad potuit, continuit, sed (quod) postquam ad summum imperium summos honores pervenerat, interfecto per contumeliam et cruciatum fratri inimicissimorum caede parentare adeo noluit,—id quod nullo negotio, salvis legibus, salva fide, nulla civium offensione facere potuit,—ut iisdem se legibus quibus infimus quisque de plebe teneri vellet, et omnia reipublicae magis utilitate quam vel cupiditatibus suis vel emolumento metiri.

2. Neque illud praetereundum, quod ab obscuris majoribus iisque alienigenis oriundus, egentissimis parentibus, loco humili natus, nullis liberalibus artibus (*or* nullis litteris, humanitate nulla) a puero institutus, vel ab adulatione vel a divitiis vel potentiae illecebris invictum se praestitit, et neque principum auctoritate atque gratia neque populi favore adeo se flecti sivit, ut aut eas leges, quibus stare et contineri putavit rempublicam, quam sibi commissam esse credebat, mutari vellet, aut multitudinem furore et sui ulciscendi cupiditate inflammatam ad caedem ac vim concitaret; sed potius quod nihil habuit antiquius, quam (*or* immo hoc magis agebat) ut vixdum ex reipublicae contentione et civili bello requiescentem civitatem omni ratione sedaret ac compesceret. Nec vero ipsa reipublicae procuratione adeo se abdidit ut vita privata ac curis domesticis careret; quippe filium qui sibi successurus erat, non vanis studiis et quae nulli prosint, sed honestis artibus et rege dignis moribus imbuendum curavit, ut ex illo demum ortum sit principium non hujus modo reipublicae tranquillitatis, sed otii opulentiaeque publicae, quantam patres nostri vix optare nedum sperare potuissent.

Exercise CVII.

Societas est enim (quod etsi saepe dictum est, dicendum tamen est saepius), latissime quidem quae pateat, hominum inter homines. Interior altera eorum qui ejusdem gentis sunt: propior eorum qui ejusdem civitatis. Itaque majores nostri aliud jus gentium, aliud jus civile esse voluerunt. Quod enim civile est, non idem continuo gentium; quod autem gentium, idem civile esse debet. Sed nos veri juris germanaeque justitiae solidam et expressam effigiem nullam tenemus: umbra et imaginibus utimur. Eas ipsas utinam sequeremur: feruntur enim ex optimis naturae et veritatis exemplis. [Cic. *Off.* iii. 17, 69.]

Exercise CVIII.

Neminem umquam noveram, qui quidem in ullum bonorum oratorum numerum venerit, in omni genere honestarum artium tam rudem et indoctum. Nullum ille noverat poetam, oratorem legerat nullum, nullam antiquitatis memoriam collegerat; nec publicum jus neque privatum nec civile cognoverat. Vix Anglice dicebat, nihil paullo elegantiorum hominum conventu dignum; is vero gestus ejus et motus corporis, cujus imitatio semper rideretur. In dicendo τρόπους, σχήματα, flebilia ridicula temere miscebat. Sed nescio quo pacto, etsi quum primus causam ageret (*or* ad c. agendam accessisset), vix poterat oratio ejus prae cachinnis audientium audiri, paullatim tamen ita animos tam judicum quam coronae flectebat, ut vix plura profecisset, si orator unus post hominum memoriam perfectissimus fuisset. Mira quadam arte et doctis fidem faciebat, et imperitorum movebat animos; ob illud praecipue laude dignus, quod numquam, quamvis obscuro loco natus, ne in concionando quidem id commisit ut asper vel maledicus fieret, quemadmodum plerique qui plebis favorem aucupantur. Ipse quidem per se cognitus, nulla nec majorum nec gratiae commendatione fretus, rudis, incultus, horridus, sed jure in honore habetur.

Exercise CIX.

1. Infantem hac dextra ex ardente et ejecta nave exceptum tecto et omni ut in tali tempore hospitio ipsum et qui e propinquis ex foedissima nocte supererant recepi; omnia ei quae ad vitam opus sunt suppeditavi, liberalibus artibus puerum omnibus sedulo instituendum curavi, nomine hospitis re vera tutoris amantissimi ac potius patris omni munere perfunctus sum. Hodie prospero ille Fortunae flatu utitur, beatissima quam nonnulli vocant vita fruitur, divitiis circumfluit, in conquisitissimis conviviis operam studiumque consumit, omni luxuria omnibus diffluit deliciis. Ego cujus ille opera e procelloso mari et ex imminente fato ereptus est fortunae meae ac spei naufragium feci, quotidiano fere victu careo, et omnium rerum egentissimus nullis meis opibus sed aliena misericordia vivo.

2. Quod si in principio magistratus tui tot calamitatibus affectus es ut dignitatem tuam potestatemque vita privata et obscura libentissime commutaturus fueris, nunc assiduitate et diligentia et constantia perfecisti ut tot (*or* plurimis) periculis defunctus statu tuo tantum possis confidere et jam metu vacuus et securus ab inimicis brevi te summa rerum potiturum esse credas, quid tandem meae auctoritatis indiges? tuo consilio, instituto tuo utare velim: modo ne prosperis te minus a rebus invictum quam adversis praestiteris.

Exercise CX.

1. Quod si ut quisque est populo gratissimus, ita principum optimus est aestimandus, nulli certe aequalium Edvardus posthabebitur (*or* Principum mores caritate civium aestimanti, E. nulli aequalium quod ad virtutem attinet posthabebitur). Mitem ac benignam indolem amabant (admirabantur) cives; mortuum non fictis lacrimis prosecuti, memoriam ejus posteris venerandam tradidere. Principatus ejus fere auream aetatem

scriptores veteres certatim laudibus ferebant; et ii quidem jure, non quo ipse iis artibus floreret quae nocent pariter ac laudantur, sed quod ipse ab omni militari laude et victoriarum gloria alienissimus ita vixit, ut exemplar praeberet regis sui negligentis, unice reipublicae dediti. Itaque notum illud, culpa vacare reges, eo regnante a civibus probatum est (*or* tum demum civium quoque omnium in ore fuit); qui si quando de republica (*or* reipublicae administratione) conquesti erant, id non ipsi regi, cujus benevolentiam pro certo habebant, sed magistratibus aut parum fidis aut temere auditis vitio dabant.

2. Adde quod (*or* Profecto tamen) memoriae ejus profuere qui ante eum et qui post regnabant, omnes apud eos qui res scripserint odio habiti. Illos scilicet externos esse, hunc domi natum; bello illos, hunc hereditario jure imperio potitum; ab illis populum in servitutem subactum nullis non malis vexari obterique, hunc beneficiis tantum notum esse. Adeo propter tristem et importunam ceterorum dominationem aliquanto vero mitior ac beneficentior apud posteros elucebat; ut, si quando cives (*or* Angli) dominatione extrema fatigati vera studia (*or* quid revera sentirent) declarare potuerant, Edvardi Divi leges et instituta summo opere flagitarent.

Exercise CXI.

Et illud mihi jamdudum animadvertenti permirum tamen videri solet, quod qui tranquillo mari gubernare se negent[1] posse quod nec didicerint[2] nec discere voluerint, iidem ad gubernacula se accessuros certatim profitentur (*or* hoc munus et appetunt et deposcunt) saevientibus maxime ventis, et excitatis maximis in republica fluctibus. Equidem vero in tanta hominum multitudine, qui reipublicae vulneribus mederi

[1] *Qui . . . negent, i.e.* the *class* of men who . . . If we write *qui . . . negant*, it = the actual persons who . . . : see Introd. **113.**
[2] Subj. in virtual *oratio obliqua* : see **114 (2).**

se posse professi sua quisque venditant[1] remedia, illud certo scio, tuo potius consilio tua providentia quam mea ipsius standum esse (*or* eum te esse, cujus . . . standum sit). Quamobrem idem a te nunc peto quod superioribus litteris, ut si quid in turbidis (*or* perditis) rebus dispiceres[2] quod mihi putares faciendum, id me pro amicitia moneres.

Exercise CXII.

Ineunte aetate ad popularem causam summo studio se contulit, et nobilitati inimicus invisusque fuit; nec vero umquam aut turbulentus civis aut vulgi assentator fieri dignatus est, nec in omni ejus vita quidquam inveneris quod contra rempublicam aut fecerit aut dixerit. Et tum quidem quum ad rempublicam accessit penes perpaucos et praepotentes viros summa erat rerum; ceteri neque communis juris neque consilii participes. Ipse illud prae se ferebat, id se reipublicae genus ceteris omnibus anteponere in quo leges, judicia, pax, bella, foedera, aut omnia penes populum essent aut ad populi voluntatem revocarentur. Idem vero cum intelligeret ejusmodi rempublicam neque suis temporibus neque suo populo posse fieri, id praecipue egit ut exsulantem regem in regnum restitueret, et reipublicae genus moderatum mixtumque, et multitudinis a licentia alienum et a dominatu vel unius vel paucorum, constitueret. Quod opus perficere non magni solum civis sed paene divini erat viri, et ipse, quamvis et consilio et eloquentia et auctoritate princeps civitatis suae, rem molitus est quae neque ingenio suo neque civium moribus capi et obtineri posset.

---

[1] *Qui . . . venditant*, an *adjectival* clause conveying a definition or description (**109**); *qui . . . venditent* would be an *adverbial* clause (**110**) denoting the *class* or *kind* of men who. . . .

[2] Historic sequence after *quod sup. litt.* (*petebam*).

Exercise CXIII.

1. Nec vero sine philosophorum disciplina potest ille effici quem quaerimus orator eloquentissimus. Qua si caremus, neque genus et speciem cujusque rei cernere, neque ipsam definiendo explicare, nec tribuere in partes possumus; nec quae vera, quae falsa sint judicare, neque cernere consequentia, repugnantia videre, ambigua (*or* ambigua dicta) distinguere. Quid dicam de natura rerum, cujus cognitio tantam orationis copiam suppeditat? quid de vita, de officiis, de virtute, de moribus? At sine multa harum rerum disciplina nec dici potest neque intelligi (*or* nec dicendi rationem intelligere possis, neque ipse dicere). Ne haec quidem satis. Ad tot tantasque res adhibenda sunt ei, qui se summum esse oratorem vult, ornamenta innumerabilia; quae sola tum quidem tradebantur ab iis qui dicendi numerabantur magistri.

2. Quo fit ut veram illam et absolutam eloquentiam nemo consecutus sit, quod alia intelligendi alia dicendi disciplina est, et ab aliis rerum ab aliis verborum doctrina quaeritur. Itaque is, cui vel primas eloquentiae partes patrum nostrorum tribuebat aetas, vir natura peracutus et prudens, in eo libro quem unum reliquit disertos ait se vidisse multos, eloquentem omnino neminem. Insidebat videlicet in ejus mente species quaedam eloquentiae quam cernebat animo, re ipsa non videbat. [Cic. *Orator* iv. v. (16-18).]

Exercise CXIV.

Fac autem te in summo dignitatis gradu jam esse collocatum; fac omnia adeptum, quae pro avaritia tua et dominandi studio concupiveris; fac tibi optata contigisse omnia, cum et oderint te cives et metuant: an provectus jam aetate oblivisci potes paene ad exitum perductam esse fabulam? an nihil sapere, id in sene fit praeclarum? numquamne in umbram aliquam ac recessum cogitandi causa te receperis? Noli istud

in te dedecus admittere; noli id memoriae tradi, sordida illa, quibus adolescentiam et maturam aetatem contrivisti, in extrema quoque vita impeditum te occupatumque tenuisse. Illud tecum reputa, non te quidem istius vitae dignitatem, quae nulla est, sed ipsam senectutem violare; hodie te, cum deferbuerit vis cupiditatum, nihil aliud quam debilitati hominis intemperantiam coarguere. [S. H. B.]

Exercise CXV.

Has tantulas ego chartas ideo deprompsi, quod et scribendi materies vix suppetit, et litterarum argumenta ea esse video, quae nullum fere aut pondus habere possint aut studium, et, quod summum est, ita mihi displiceo (*or* sum demisso animo) ut nisi brevior sim mox defatiger. Haec tibi in praesens probetur excusatio: sin aliquando fortuna mea se correxerit, et ipse (sic habeto) me corrigam.

Fertur olim apud Homerum Juppiter, tum quum domi esse deberet, cenatum abiisse ad Aethiopas. Nunc si, ut solebant veteres, sic Jovem accipimus ut significetur caeli temperantia, nostratem quoque Jovem puto ad ejusmodi aliquid vocatum peregrinari, quo absente Junium mensem inter frigora paene hiemalia consumpsimus. Hodie autem, mutato aere, in spem venimus, fore ut convivio jam ad finem perducto ipse reddatur nobis, remota illa Aethiopum societate.

Emi λεξικὸν ingens, quo ut utar nihil deest nisi scriptores Graeci. Hos si primum emissem non tam praepostera res esset. Arcae tamen nostrae consulendum erat. Lauda, quaeso, meam parsimoniam. Vale. [S. H. B.]

Exercise CXVI.

Nobis hoc agendum est ut scientiam consequamur non de tritis atque usitatis rebus sed de iis quae sublimiores sint ac reconditae, perplexae et difficiles, quae vulgo nec cognoscere nec intelligere contingat: quas si certius atque accuratius

cognoscere velimus, summa vi mentis summa contentione enitendum erit, ut principiis recte positis quae inde sequantur (*or* consequentia) accurate deducamus; deducta ordine disponamus; quae denique aut contemplando aut legendo didicerimus, fideliter memoria teneamus. Quod si difficillimum est vel pauca satis cognoscere, vel in quovis litterarum genere mediocriter excellere, quanta opus est industria ut in multis eniteamus aut tantas scientiarum regiones perlustraverimus, quarum ne unam quidem partem nescire litteratum aut convenit aut decet? Est enim tanta inter se rerum conjunctio et sententiarum societas et connexio, ut aliud doctrinae genus alii lucem praebeat, nec quidvis unum intelligi possit quin et alia multa percipiamus: itaque prave doctus fuerit qui non in multis scientiarum generibus aliquantum versetur; vix bene, qui non in omnibus. [T. L. P.]

Exercise CXVII.

Aiunt nihil plus ad beate vivendum valere quam securitatem; satis superque sibi esse suarum cuique rerum, alienis implicari molestum esse; praesidii quidem adjumentique causa expetendas esse amicitias; sed neque consentaneum esse nec bene constituti animi res inanes, benevolentiam ac caritatem, iis quae sibi reapse conducant anteponere. Ego haec audiens rogare velim quid de homine superfuturum sit quum humanitatem omnem exstirpaveris; quid intersit omni caritate omni motu animi sublato, non dico inter pecudem et hominem, sed inter hominem et truncum aut saxum aut quidvis ejusdem generis. Sed hoc viderint sapientiores.

Exercise CXVIII.

Jam vero ea virtus, quam φιλανθρωπίαν vocamus, duplex est. Sunt enim duo beneficiorum genera, primum eorum quae ad singulos spectant, alterum eorum quae ad universos et ad rempublicam pertinent. Qui vero in hac virtute ver-

sari volunt illud vix sunt monendi, est enim in promptu, dandam esse operam (*or* cavendum) ne quum aliis prodesse velint aliis noceant. Dandam enim operam ut consulatur singulis, sed ita ut ea res aut prosit reipublicae, aut certe ne obsit. Ei vero qui rempublicam administrabit videndum erit ut suum quisque teneat neque de bonis privatorum deminutio fiat: hanc enim ob causam maxime, ut sua tenerent, respublicae civitatesque constitutae sunt. Nam etsi duce Natura congregabantur homines, tamen spe res suas conservandi et civitatem quam vocamus excogitabant et civitatum praesidia quaerebant. [*From* CIC. *Off.* II. c. xxi.]

EXERCISE CXIX.

At Plutarchi pulcherrimum illud (*or* Illud quidem P. pulcherrimum dictum), odio ne in inimicis quidem morigerendum: etenim huic affectui si alias indulseris, alias ultro oriturum; inimicos si oderis, vitiositatem quandam animi admissurum, quae in amicos aliquando aut etiam in ignotos sit eruptura. Atque in hoc genere etsi poteram quidem commonere quam mirifice hocce philosophi nostri praeceptum, quo ille odii pravitatem non ad eos refert quos oderis sed in ipso ponit affectu, cum divina illa morum regula centum fere annis ante Plutarchum hominibus promulgata congruat conveniatque; satis tamen habeo conqueri, bonorum hominum animos partium studiis adeo acerbatos videri et inter se alienari, ut neque rationi neque religioni parere mihi videantur. Profecto reipublicae studium etiam optimorum hominum animis eos solet motus ingignere, quos suarum tantum rerum cura numquam ingenuisset.

EXERCISE CXX.

Meas igitur tu partes suscipias velim; finge id quod nullo modo fieri potest, te eum esse qui ego sum. Si facile inveneris quid facias, tum demum haesitanti mihi noli ignoscere.

Sin in tanta vel male sentientium vel impiorum civium multitudine meliores (*or* optimum quemque) arctiore quodam vinculo consociari, bonorum civium indies corroborari vires et animos confirmari vel intellexeris vel speraveris; sin hac spe fretus paullisper dubitaveris utrum melius sit tempori cedere, an nonnullo reipublicae periculo id agere ut omni animadversione sceleratos homines opprimas; confitendum tibi jam erit, pace tua dixerim, nec mea consilia rationis fuisse expertia, et nos, si minus fortiter in praesens, multum tamen et optime in posterum providisse.

Exercise CXXI.

Deum esse dixerunt alii, dubitare se alii, negaverunt omnino nonnulli: quorum opiniones quum tam variae sint tamque inter se dissidentes, alterum profecto fieri potest ut earum nulla, alterum certe non potest ut plus una vera sit. Sed ipsa quaestio et per se maxima est, et ad vitam hominum regendam ut nulla fere alia pertinet. Quae nisi dijudicari potest, in summo errore necesse est homines et in maximarum rerum ignorantia versari. Quod vero maxime rem causamque continet, utrum ullam habeat rerum humanarum procurationem Deus (*or* utrum in rebus humanis nihil agat, nihil moliatur, nihil administret Deus), summa est indoctorum dissensio, maximo apud philosophos studio disceptatur. Hoc tamen unum esse per se manifestum dixerim: si Deus neque possit nos adjuvare nec velit, si quid agamus non modo curet sed ne animadvertat quidem, tolli protenus omnem religionem, pietatem omnem, preces omnes. Quae quidem ita numini ab hominibus tribuenda sunt, si ab eodem Deo consulitur hominibus et providetur, si ejus mente ac ratione omnem mundum administrari regique censendum est, si denique nescio quid a numine ad humanam vitam permanare potest (*or* credimus). Non levi igitur de re dissentiunt qui esse Deum affirment, et qui nullum omnino esse contendant; immo de ea qua omnis humani generis societas continetur.

Exercise CXXII.

Quapropter hoc te primum rogo ne contrahas ac demittas animum, neve te obrui, tamquam fluctu, sic magnitudine negotii sinas: at contra ut erigas te ac resistas, sive etiam ultro occurras negotiis. Ea enim pars tibi reipublicae commissa est in qua aut nullam aut perexiguam partem fortuna tenet: plurimum ibi potest ratio ac diligentia, ut tota in ingenio tuo, in probitate, in fortitudine, in moderatione animi posita esse videatur. Nullam, ut opinor, proeliorum dimicationem, nullas hostium insidias, vim nullam potes pertimescere; nullam debes defectionem sociorum, inopiam aut stipendii aut rei frumentariae, nullam militum seditionem exspectare; quae tamen persaepe prudentissimis viris acciderunt, ut, quemadmodum gubernatores optimi vim tempestatis, sic illi fortunae impetum superare non potuerint. Tibi alia omnia Dei Optimi beneficio contigerunt: summa pax, summa tranquillitas; ita tamen ut eadem dormientem obruere gubernatorem, vigilantem delectare possint.

Exercise CXXIII.

Ridicula autem quatenus sint oratori tractanda perquam diligenter videndum est. Nam neque insignis improbitas et cum scelere conjuncta nec miseria insignis irridenda (*or* ludibrio afficienda) videtur. Facinorosos enim majore quadam vi quam ridiculi vulnerari volunt; miseros illudi nolunt, nisi si se forte jactant. Parcendum est autem maxime caritatibus hominum, ne temere in eos dicas qui diliguntur. Itaque ea facillime luduntur, quae neque odio magno, neque misericordia maxima digna sunt. Quamobrem materies omnis ridiculorum est in iis vitiis quae sunt in vita hominum neque carorum neque calamitosorum, neque (*or* nedum) eorum qui ob facinora ad supplicium rapiendi videntur; eaque, si belle ac prudenter agitaveris, ad jocandum materiem praebebunt.

[*Adapted from* Cic. *De Orat.* ii. c. lviii. lix.]

Exercise CXXIV.

Qui vero, tamquam sanctissimae causae nuper suscepto patrocinio, penes populum esse summam rerum jure quasi divino quodam oportere dictitant, negant quidquam hoc genere non modo per se praestantius, sed ne liberius quidem ac beatius esse: quippe eos legum dominos esse, eos judiciorum, eos aerarii, eos pacis bellique foederum, eos denique capitis uniuscujusque civis ac pecuniae (dominos esse), quos ejusmodi rerum esse arbitros natura ipsa velit. Et vero negant ob populi unius vitium genus hoc totum liberae civitatis repudiandum esse: concordi enim populo et omnia ad incolumitatem civium et libertatem referente nihil esse firmius, nihil immutabilius.

Exercise CXXV.

1. Hujus viri tanta fuere in republica merita quanta aequalium certe nullius, et nescio an in magistratu quem diutissime gerebat plus unus patriae profuerit quam omnes penes quos ante eum summa rerum (*or* imperii) in ea civitate venerat. Neque enim illud solum effecit, quod per se difficillimum erat, ut superbissimos optimates legibus coerceret, sed (rem multo difficiliorem) id ita perfecit, ut neque dignitatem eorum laederet neque jura, quae quidem justa essent ac populo salutaria, imminueret, neque ipsis nisi pro tempore displiceret. Non quo vel forti animo careret, vel consilio tenaci: immo unus fere omnium qui res novare voluerint, sese civibus probabat, ut qui nullo modo sibi ipsi, patriae tamen summo studio, summa prudentia consuleret. Hujus enim auctoritatem secuti didicerunt optimates, tum demum in civitatibus liberis pollere nobilitatem, quum ipsi modestiae ac legum obtemperationis exemplum ceteris praebuerint. Apud populum quidem, cui quondam paullo se specie quidem severiorem et ab omni populari arte alienissimum vir unus omnium

facillimi ingenii et liberalissimi, potentior diu erat quam gratior: quem scilicet ita admirabantur omnes, venerabantur, maximi faciebant, ut vix quisquam amaret, pauci laudarent. Sed ut quisque veram viri indolem et intimos sensus optime cognoverat, ita maximo studio virtutes admirabantur, quas ne ipsi quidem antehac suspicati tum primum sibi quisque cognovisse visi sunt.

2. Quum tamen ad provectiorem aetatem pervenisset, quo plus apud potentes gratia, eo magis favore plebis florebat. Itaque factum est ut, quum major annis septuaginta, invito rege, depellantibus optimatibus, reclamante populo, potestate se omni exuere constituisset, tanta privatus apud omnes esset auctoritate, quanta nemo eorum qui posthac rempublicam capessebant; ut otium quod desiderabat frui nequiret. Nam etsi ipse jam diutius rempublicam attingere noluit, tamen nemo fere adolescens qui paullo majora animo conciperet ad rempublicam accedebat quin eum quocumque poterat modo adiret, unum omnium qui civitati praefuerant sapientissimum consulturus. Neque id umquam ei accidit quod ceteris plerisque, qui omissa reipublicae cura in domesticam se vitam receperunt, ut si minus existimationi suae, at auctoritati ac potentiae superesset: quem vero cives desiderio deflebant peremptum, et, dum civitas ipsa floruerit, memoria tenebunt.

Exercise CXXVI.

Fuit enim is qui summum in civitate magistratum tum temporis petebat adolescens non veris tantum virtutibus mirabilis, sed arte quadam a pueritia ad ostentationem earum compositus. Pleraque apud multitudinem aut per nocturnas visa species, aut velut divinitus mente monita agebat; sive et ipse capti quadam superstitione animi, sive ut imperia consiliaque, velut sorte oraculi missa, sine cunctatione exsequerentur. Ad hoc jam inde ab initio praeparans (*or* praeparaturus, 67) hominum animos, ex quo togam virilem

sumpsit, nullo die prius ullam publicam privatamque rem egit[1] (*or* agebat) quam in Capitolium iret et solus in secreto ibi tempus tereret. Hic mos, qui per omnem vitam servabatur, opinioni seu consulto seu temere vulgatae fidem apud quosdam fecit, stirpis eum divinae virum esse: et ipse rem (*or* fidem) auxit arte quadam nec abnuendi tale quidquam nec palam affirmandi. Multa etiam alia ejusdem generis partim assimilata, partim vera, admirationis humanae in eo juvene modum excesserant; quibus freta tunc civitas aetati nondum maturae tantam molem rerum tantumque imperium permisit. [*From* LIVY xxvi. 19.]

EXERCISE CXXVII.

Qui vero reipublicae praefuturi sunt duo hujus philosophi praecepta teneant: unum ut utilitatem civium sic tueantur ut quaecumque agunt ad eam referant, obliti commodorum suorum; alterum ut totum reipublicae corpus curent, ne dum partem aliquam tuentur, reliquos deserant. Ut enim tutela, sic procuratio reipublicae ad utilitatem eorum qui commissi sunt, non ad eorum commoda quibus commissa est, gerenda est. Qui autem parti civium consulunt, partem negligunt, rem perniciosam in civitatem inducunt, seditionem atque discordiam: ex quo evenit, ut alii populares, alii optimi cujusque studiosi videantur, pauci universorum.

Hoc vitium gravissimus quisque et fortissimus et in republica principatu dignus fugiet atque oderit, tradetque se totum reipublicae, neque opes aut potentiam consectabitur, totamque civitatem sic tuebitur ut omnibus consulat. Nec vero criminibus falsis in odium quemquam et invidiam vocabit, omninoque ita justitiae honestatique adhaerescet ut, dum ea conservet, quamviscumque faciat jacturam mortemque oppetat potius quam deserat illa quae dixi.

[CICERO *De. Off.* I. xxv., 85.]

[1] *Egit*, of each individual act: *agebat*, of his habitual practice.

Exercise CXXVIII.

Nihil est ad delectationem legentium aptius quam temporum (*or* rerum humanarum) varietates fortunaeque vicissitudines: quae etsi nobis experientibus (*or* in experiendo) optabiles non fuerunt, legentibus (*or* in legendo) tamen erunt jucundae. Delectationem enim habet praeteriti doloris secura recordatio: ceteris vero nulla perfunctis propria molestia, casus autem alienos sine dolore intuentibus, etiam ipsa misericordia est jucunda. Quem enim nostrum ille moriens apud Mantineam Epaminondas non cum quadam miseratione delectat? qui tum demum sibi avelli jubet spiculum postea quam ei percunctanti dictum est salvum esse clipeum, ut etiam in vulneris dolore aequo animo et cum laude moreretur. Cujus tandem studium in legendo non erectum Alcibiadis fuga redituque retinetur? Etiam ordo ipse annalium mediocriter nos retinet quasi enumeratione fastorum: at viri excellentis ancipites variique casus habent admirationem, exspectationem, laetitiam, spem, timorem: si vero notabili exitu concluduntur, expletur animus jucundissima lectionis varietate.

[Cicero *Ad Fam.* v. xii. 4, 5.]

Exercise CXXIX.

Vergilius quidem haec bella emollito, ut ita dicam, si quid asperioris habent, mutatoque et accelerato rerum ordine, in posterioribus Aeneidos libris enarrat. Quae etsi Romanis procul dubio propria erant, vix tamen ipsis Romanis aequo judicio utentibus veram poterant habere delectationem. Nobis autem nimium patet, poetam illum longe abfuisse quin vanis nominibus, quorum mores et personae describendi erant, vitam illam et spiritum adhibuerit quam suis personis Homerus (*or* quin nomina illa . . . in vivorum speciem Homericis similium (*or* Homerico quodam more) exornaverit). Nisi

enim res populari fama et carminibus per multos annos vulgatae ita in medio sint omnibus, ut et fabularum unde constant ordo et qui ibi partes agunt toti populo penitus cognoscantur, haud scio an nequaquam possit ut carmen heroicum inde componatur. Hujusmodi certe operi deerat Vergilii ingenium, sterile id quidem in creandis fabulis, in ornandis tamen feracissimum. Quod et ipsum secum conscire, et pro ingenio suo eminere velle, ex hoc satis apparet quod aliorum scripta tantum imitatur et mutuatur, tum quod hic illic elucet tanta ejus et tam exquisita eruditio, quam Romani magnopere admirabantur, nos autem tantuli aestimamus.

[T. L. P.]

Exercise CXXX.

Sed haec quae isti nimis subtiliter disserunt (*or* hujusmodi argutiae et subtilitates) ad communem hominum utilitatem parum pertinent: sibi ista habeant (*or* de istis judicaverint) philosophi et earum rerum magistri: nos omissis quae aut finguntur aut optantur ea spectare debemus quae sunt in usu vitaque communi. Qui quum talis fuerit sive beatissima immortalitate fruitur, sive illius animus—si hoc verbo per philosophos istos qui cuncta ad sensum referunt jam uti licet—cum extremo morientis spiritu interiit, tamen eum natum esse et nos gaudeamus necesse est, et haec civitas dum erit et gratiam habebit et sibi gratulabitur.

Exercise CXXXI.

Carum esse civibus, amari a suis, quae natura omnibus grata ac jucunda sunt, tu parvi facere videris. Ipsum tibi placere, et eadem sentire eadem sequi magistratum quae privatus, tibi et rectum videtur et honestum. Otium scilicet industriae, reipublicae studio voluptatem anteponis; nec mihi operae est singula ista coarguere, hoc tantum affirmaverim. Esse te

quidem eundem quem semper esse credidi, hanc vero ignaviam, hanc salutis communis incuriam tantas esse quantas ne in te quidem exspectaveram.

EXERCISE CXXXII.

Nec tamen tantum mali est errare principes (quamquam est magnum hoc per se ipsum malum) quantum illud quod permulti imitatores principum exsistunt. Nam licet videre, si velis memoriam temporum replicare, qualescumque summi n civitate viri fuerint, talem etiam civitatem fuisse; quaecumque mutatio morum in principibus exstiterit, eundem in populo secutum. Idque haud paullo est verius quam quod Platoni placet, qui musicorum canticis ait mutatis mutari civitatum status. Ego autem nobilium vita victuque mutato mores mutari civitatum puto. Quo perniciosius de republica merentur vitiosi principes, quod non solum vitia concipiunt ipsi, sed ea infundunt in civitatem; nec solum obsunt quod corrumpuntur sed etiam quod corrumpunt, plusque exemplo quam peccato nocent. Pauci enim atque admodum pauci, honoribus et gloria et dignitate aucti, vel corrumpere mores civitatis vel corrigere possunt.

[CIC. *De Legibus*, iii. c. xiv.]

EXERCISE CXXXIII.

Videtis igitur ut de rege dominus exstiterit, uniusque vitio genus reipublicae ex bono in deterrimum conversum sit. Hic enim est dominus ille populi, quem Graeci tyrannum vocabant. Nam regem quidem illum volunt esse qui consulit ut parens populo, conservatque eos quibus est praepositus in optima conditione vivendi. Sane bonum, ut dixi, reipublicae genus; sed tamen inclinatum et pronum ad statum perniciosissimum. Simul atque enim se inflexit hic rex in dominatum injustiorem,

fit continuo tyrannus; quo de genere erit nobis alius aptior dicendi locus, quum res ipsa admonuerit ut in eos dicamus, qui etiam liberata jam civitate dominationes appetiverunt.

[CIC. *De Republica*, ii. 26, 48.]

EXERCISE CXXXIV.

1. [Duo genera semper in hac civitate fuerunt eorum qui versari in republica atque in ea excellentius se gerere voluerunt. Quibus ex generibus alteri se populares, alteri optimates et haberi et esse voluerunt: qui ea quae faciebant quaeque dicebant multitudini placere volebant, populares (habebantur); qui autem ita se gerebant ut consilia sua optimo cuique probarent, optimates habebantur.] [1]

